



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**

**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

Liber IV. De Loco, & Vacuo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

# LIBER IV.

## DE LOCO & VACUO.

**D**uplici de causa Aristoteles post motum agit de loco & in primis quidem, quia inter celebriores motus, localis est, eo itaque explicato conveniebat, ut ejus terminum quoque, qui locus est, explicaret; secundò, quia quælibet res existens pro aliqua proprietate & affectione locum sibi vindicat, ideo hæc affectio hîc prætermitti non debuit. In materia de Loco addit Aristoteles disputationem de vacuo, duplici, ut existimo, etiam de causa, primò, quia contrariorum eadem est ratio & disciplina, secundò, quia multi Antiqui inter locum, & vacuum non distinxerunt, ideoq; simul congruè examinantur. Sitigitur

### DISPUTATIO IV.

#### DE LOCO.

##### QUÆSTIO I.

###### Quid sit Locus?

**I.** Intricatisimè Authores passim disputant de Loco, ejusq; natura, absque omni prosus necessitate, cum id magis faciant, ut Aristotelis dicta defendant, tanquam essent oracula plûs, quam Delphica, & non ut veritatem ostendant, cum tamen rationi favendum esset potius, quam ejus authoritati, cum imbecillitatis signum sit, ex autoritate solum edisere, quare

verfia, quidnam sit? Circa quam materiam tam olim, quam nunc plures fuerunt sententia, Solemniores sunt dua: Prima est Platoniorum, Stoicorum & Academicorum, qui omnes asserunt, locum non esse aliud, quam spatium aliquod, seu intercapedinem intra cujus latitudinem corpus locatum continetur. Secunda sententia est Aristotelis, qui vehementissimè in priorem invehitur, magis tamen oppugnandi & taxandi arrogantia, quam veritatis tuendæ gratiâ, qui cum Peripatecis docet, locum non esse spatium, sed superficiem ambientem corporis immobilem, quæ definitio ratione posterioris particulae immobilis tot habet explicationes, quot sunt capita explicantium, nam Arriaga dicit, & putat Aristotelem per illam non definivisse alium locum, quam terræ, quòd qualiter dictum sit, non est opus censuras Solemniorum adferre Doctorum, cum etiam Rustici & Villani modicè informati eam refellere possint: Pererius &c. asserunt Locum esse immobilem respectu corporum simplicium, non verò mixtorum, sed nec hoc veri apparentiam habet, cum Aristoteles non tantum simplicium corporum Locum definire intenderit, utpotè cum agat de eo, veluti proprietate & affectione communi aliis corporibus; Thomistæ verò dicunt Locum esse immobilem per ordinem ad partes fixas totius mundi; attamen non implicat, quin columna possit poni in aliquo loco, quâ immotâ Deus moveret totum Universum, prout se facturum Archimedes sponpondit, si pedem extra mundum figere valeret, sed in tali casu

Ppp 3 muta-

**II.** Notandum: Locum multipliciter accipi posse: Primò enim capitur pro omni eo, in quo aliquid recipitur, sic dicitur, materiam esse locum formarum, intellectum specierum intelligibilem, & hæc acceptio est planè metaphorica; Secundò accipitur pro loco artificiali, sic Professor dicitur sedere in chatedra, vinum in vase vel amphora &c. Verùm in his acceptionibus de eo non agitur, sed in acceptione Physica, pro eo scilicet, qui necessariò requiritur ad motum lationis, tanquam terminus ad quem, qui in se locatum formaliter continet, & in hac acceptione dupliciter considerari potest; formaliter vel fundamentaliter, seu materialiter; Locus formaliter sumptus non est aliud, quam respectus rei locantis ad locatum, materialiter verò sumptus est ipsa res, quæ fundat respectum, & de hoc loco eoq; proprio & immediato, non verò de communi & mediato procedit contro-

mutarentur partes univēsa & moverentur, non tamen columna, ut suppono, ergo locus non est immobilis per ordinem ad partes fixas univēsi. Alii aliter explicant, & quilibet in suo sensu se abundare autumat, ita, ut quæstionem putem esse magis nominalem, quam realem, quare existimo, extremas illas duas sententias facile concordare posse, quod præstare conabor mediante distinctione de loco principali & primario, & de loco secundo, seu minus principali, unde

## III.

*Locus primarius est spatium.*

**Dico I.** *Locus primarius coniunctus corporis est spatium, quod corporis partibus secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem occupatur.* Hanc reor esse conformiorem menti Sanctorum Patrum, quamvis sit difformis Aristoteli, &

**Probatur** Eorundem autoritate, nam Divus Augustinus frequentè docet: Cælos esse in loco, sed nisi esset spatium locus, non esset in loco, ergo: major probatur, nam lib. 2. serm. Dom. in mont. cap. 5. ait: *Sunt enim Cæli excelsa mundi corpora, quæ non possunt esse nisi in loco: probatur etiam minor, quia Cælum supremum non est in superficie; ergo si spatium non esset locus, Cælum supremum non esset in loco.* Similiter Divus Bernardus Sermon. 86. dicit: *Neg. corpus locus animæ est. Locus siquidem coniunctus, rei finis est suæ substantiæ; ergo superficies non est locus, alioquin non dixisset Sanctus Pater, locum esse finem suæ substantiæ, sed potius initium superficiei alienæ; nam Cælum supremum, quod in loco esse non negatur, non habet, nisi finem suæ substantiæ. Quare licet in eodem Sermone Sanctus Abbas dicat: *Mensuram in loco & tempore considerari, hoc tamen intelligi debet in sensu sequentis conclusionis, de superficie, quæ reverà mensuræ rationem habet.* De mente Doctoris subtilis planè ambigendum non est, nam licet nonnunquam locum dicat esse superficiem continentem, artamen 5. Metaph. q. 9. n. 15. expressè docet: *Quæ Philosophus dixit in predicamento de loco, non sunt vera, clarè autem 4. Phys. q. 2. n. 7. refert sic: Aliqui dicunt, quod contentum spatium intra latera continentis, quod est præcisè æquale corpori locato & contento, sit locus ipsius & ista opinio est multum probabilis, nec potest evidentè impugnari.* Ex qua doctrina & ratione implicitè insinuat formam argumentum ex ratione, &*

**Probo Conclusionem secundò**

sic: Locus debet esse æqualis & proportionatus locato, sed solum spatium est sic proportionatum, ergo: probatur mi. quia non superficies, ergo solum spatium: probatur ant. Superficies non est longa, lata & profunda simul, sed corpus locatum circumscriptivè est longum, latum & profundum simul; ergo superficies non est æqualis, & proportionata corpori locato, consequenter nequit esse locus.

## IV.

**Probatur secundò: Angelus &**

Anima rationalis, etiam separata, est in loco, sed angelus & anima non sunt in superficie; ergo superficies non est locus primarius: ma. est indubitata: probatur mi. quia superficies est inepta ad locandum angelum, cum sit divisibilis,

divisibiliterq; partes ambiens, sed angelus non est sic divisibilis; ergo superficies non potest locus esse angeli vel animæ.

**Probatur tertio:** Ex proprietatibus & ratione loci, ad quem spectat, quod repletur à corpore, quo abscedente adhuc maneat, ita, ut actualiter ab eo separari possit, & quod comutato mutetur locus, eoque manente locus remaneat, sed hæc omnia principaliter competunt spatio, ergo: ma. patet; probatur mi. quia spatium repletur per triplicem dimensionem corporis, & eo mutato mutatur locus, ut si angelus de uno spatio supra superficiem cæli supremi moveret se ad aliud, sicut etiam quodcumque aliud corpus ibi, vel in vacuo alium acquireret locum & si idem spatium repletur, maneret in eodem loco, estq; separabile, ut de se patet, ergo. Alia adhuc, eaque potissima ratio huius conclusionis est intricatissima difficultas, & involutio in explicanda superficiei immobilitate, quæ sufficiens ratio esse potest, ut ea discedatur, quoniam, sicut nihil debet fieri per plura, quod potest fieri per pauciora, ita nihil debet explicari per obscuriora, cum per clariora fieri possit, cum claritas amica sit veritatis.

**Dices:** Quando corpus ponitur in aliquo loco, perit ejus spatium; ergo spatium non est locus: probatur ant. quia spatium non est aliud, quam negatio omnis corporis, sed posita forma perit negatio; ergo posito corpore perit negatio, seu spatium. Sed 2. negando ant. Ad cuius probationem dico, spatium non esse partem corporis negationem, sed etiam capacitatem, ut repletur ab aliquo corpore, unde, sicut non perit potentia, quando ponitur actus, ita nec tollitur spatium, seu capacitas, quando in eo ponitur aliquod corpus. Deinde si negetur, quod continentia sit de essentia, vel ratione loci intrinseca, nullo modo demonstrari potest, cur spatium non sit locus? aut cur superficies tantum esset? Sed Prosequor argumentum superius sic, &

**Probo Conclusionem ultimo:**

Si spatium non esset locus primarius, esset superficies immobilis, hæc non est, ergo: ma. est Adversariorum: probatur mi. quia potest haberi eadem superficies & tamen mutari locus; ergo superficies immobilis non est locus: probatur ant. quia potest Deus mecum transportare superficiem hanc Comencensem usque Ostercium; ergo tunc est eadem superficies, & tamen est alius locus. Deinde superficies illa, quasi omni momento mutatur & movetur; ergo locus esse nequit, nec juvat dicere, mutari solum, quantum ad numerum, non vero quantum ad æquivalentiam, quia alioquin dicam, si me moveam ex hoc cubiculo in aliud, quod non mutem locum, quia habeo eandem superficiem secundum æquivalentiam, licet non sit eadem in numero. Aliqui ad argumentum dicunt, illam immobilitatem superficiei non esse naturalem, sed supernaturalem, quia Deus miraculose mecum transferret Camencio usque Cistercium eam superficiem, sed malè adhuc, essentia rerum sunt immutabiles, etiam respectu potentia divina; ergo si immobilitas est de essentia

tia loci, nec supernaturaliter mecum transportari poterit.

**DICES.** Locus est relatio realis prædicamentalis, sed omnis relatio debet habere terminum realem; ergo etiam locus; subsumo, sed nihil potest assignari, quod sit terminus realis, quam superficies; ergo superficies erit locus, isq; primarius. Sed respondeo dist. m. Omnis relatio debet habere terminum realem, si sit relatio de quarto prædicamento, & simpliciter realis, concedo mi. si non sit de illo prædicamento, & secundum quid tantum realis, nego mi. & consequentiam. Ita que dantur multæ relationes, quæ ad alia prædicamenta spectant, ut motus alterationis, generationis, corruptionis, destructionis, quorum aliqui vel non habent terminum realem à quo, alii verò non habent terminum realem ad quem, ut est corruptio, annihilatio. R. secundò hoc argumentum æquè esse solvendum Adversariis, nam illi concedunt, quòd motus localis possit fieri in vacuo, sed ibi non esset terminus à quo & ad quem realis; ergo hoc non sufficit simpliciter ad rationem relationis; Nec valet dicere, quod habeat terminum realem mediatum; quia omnis relatio debet subiectari in termino proximo, qui dicitur esse terminus motus localis: Deinde eodem modo dicam ego, quòd motus non habeat terminum realem principalem, benè tamen minus principalem & secundarium, quia

**DICO 2.** Superficiem ambientem corpus locatum esse locum secundarium minus principalem & per accidens. Hæc videtur colligi posse ex Doctore, qui in 4. d. 10. q. 2. & in 2. d. 2. q. 6. &c. dicit, locum esse continens, sed superficies est continens; ergo superficies est locus, non primarius, ut ex ipsa mente subtilis supra deducum est; ergo secundarius & minus principalis.

**Probatur etiam ratione:** Quia verè conveniunt munia loci superficiei, ergo: probatur ant. quia ambit corpus, repletur, & corpus in ea contentum, dicitur locatum; ergo: quòd autem non sit primarius, patet, tum, quia potest esse aliquid in loco absque eo, quòd sit in superficie, ut patet de Cælo supremo & de vacuo, si in eo poneretur aliquod corpus, quia hæc sunt alicubi, quòd autem est alicubi, est in loco, quia, ut dicit D. Augustinus, quòd nullibi est, nec est; ergo etiam illa sunt in loco, sed non sunt in superficie, ergo. Deinde per accidens est, quòd aliquod corpus ambiens præextiterit. Sed de hoc iterum redibit sermo, cum egero de spatio imaginariis, quod præstabo in disputatione sequenti, interim fit

QUÆSTIO II.

An & quomodo Deus sit in Loco?

**Titulus quæstionis** procedit tam de spatio, quam de superficie, seu, tam de loco negativo, quam positivo, quare pro faciliori resolutione Notandum: Aliquid posse esse in loco multipliciter: Primò *indefinitè*, id est, sine omni fine, Secundò *definitè*, id est, limitatè ad aliquem

certum locum vel spatium; Tertio *circumscriptivè*, quod tunc contingit, quando aliquid est ita in loco, ut omnes partes loci commensurentur à partibus locati, & eontrà partes locati commensurentur partibus corporis locantis per veram coextensionem. Quarto potest aliquid esse in loco *circumscriptivè*, (*definitivè* vulgo) & est, quando aliquid est in loco sine tali commensuratione. Quintò denique *sacramentaliter*, quando aliqua quantitas est in loco aliquo, sine coextensione ad locum, & sine extensione ad partes ipsiusmet quantitatis, & sic est in Eucharistia Christus Dominus, qui non modò est ibi compenetratus cum quantitate panis, sed etiam cum omnibus partibus suis, ita, ut totus sit in qualibet parte hostiæ & totus in tota. De hoc modo effendi in loco, non spectat agere ad Phisicum; de loco verò circumscriptivo non potest esse dubium, quæritur ergò de aliis effendi modis in loco, an Deus ibi sit & quomodò? Ad quod

**DICO 1.** Deum non est in aliquo loco positivo

*Aristotelico.* Hæc non est in dubio, nam fide tenetur, Deum nullis claudi terminis, nullo circumscribi loco, ut palàm docent tum Sacra Scriptura, tum Sancti Patres, qui omnes docent, totum orbem non posse capere vel comprehendere Deum. Adduco tamen particularitèr Doctores nostros Sanctos Augustinum, qui Serm. 1. verb. Apost. dicit Deum *nuquam inclusum* & Epist. 52. ait: *Neg. enim locis corporalibus vel extenditur, vel includitur; ad eum ergo, qui ubiq. præsens est & ubiq. totus, non pedibus ire licet, sed moribus.* Et lib. 6. Confess. cap. 3. *Tu enim Altissime & proxime, secretissime & præsentissime, cui membra non sunt alia majora, alia minor, sed ubiq. totus es, & nuquam locorum es.* Mellifluus quoque Bernardus Sermo. 6. in dedicat. templi ait: *Licet enim in omni loco sit, qui nullo clauditur loco, signant èr tamen dicimus Pater noster qui es in cælis, quòd aliter illic & proprio quodam modo præsentem se exhibeat, non quidem ipse diversus, sed diversa distinguens.*

**Probatur etiam ratione:** Omne illud, quod continetur in loco positivo Aristotelico, debet posse ambiri & claudi terminis loci, sed Deus non potest sic ambiri; ergò Deus non continetur in loco Aristotelico: probatur mi. tum, quia omne illud, quòd sic continetur, debet esse quid finitum; Deus autem est infinitus, ergò: tum, quia quòd sic ambitur, non est immensum & ubique, Deus autem est immensus & ubique, ut proinde canat Ecclesia in laudem B. V. quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti: ergò.

**DICO 2.** Deum est in loco negativo, seu spatio, non tamen per aliquod superadditum.

**Probatur Conclusio** quòd primam partem, tum ex Patribus supra, qui docent, Deum ubique esse, sed locus negativus est ubique; ergò Deus est in loco negativo, non quidem, quòd ab eo ambiretur & contineretur, sed quia ubicunque spatium est, ibi Deus est: tum secundò; Deus ubique est, ubicunque potest esse, sed potest esse in omnibus spatiis; ergò Deus ubique est. Confirmatur: Si Deus annihilaret totum aërem, aut sphaeram ignis, quòd

II.

Deus non est in loco Aristotelico.

III.

Deus est in loco negativo seu spatio.

quod facere posse, ostendam inferius, in tali casu esset adhuc in illis spatiis & illis vacuitatibus, ergo: Plures probationes pro hac parte adducam infra, cum dicam, Deum esse etiam in spatiis imaginariis. Interim

IV.

**Probatur secunda pars:** Idem fit aliquid creatum in loco de novo per aliquod extrinsecum superadditum, quia simpliciter potest esse sine illo loco, sed Deus nequit esse simpliciter, quia omni spatio sit necessario praesens; ergo est illi praesens sine aliquo de novo superaddito: probatur mi. tum, quia sic dicitur communiter de omnibus formis extrinsecis advenientibus, quae idem contingentem denominationem subjectis dant, quia sine illis esse poterant, prout patebit discurrenti per omnia praedicamenta extrinsecis advenientia: tum, quia idem Titus est in loco hoc, verbi gratia A, per aliquod de novo superadditum, quia potest esse sine illo, sine quo, si esse non posset, nihil ipsi superaddendum foret, ergo: probatur mi. quia Deus, ut ex Patribus supra liquet, necessario praesens est cuicumque loco: ergo.

V.

**Dices:** Deus aliquando est praesens rebus creatis, & aliquando non est praesens; ergo ad hoc, ut sit Titio praesens, de novo debet esse ipsi praesens per aliquod de novo superadditum, probatur ant. Quia antequam Titus esset productus, non erat ipsi praesens, post productionem fuit, & post destructionem iterum non est; ergo rebus creatis aliquando est praesens, aliquando non. Sed respondeo dist. ant. Deus est praesens rebus creatis aliquando, & aliquando non est immediate, concedo ant. mediate nego ant. Itaque Deus habet necessariam & incommutabilem praesentiam ad spatium, & eo mediante ad omnes creaturas, quare quando creatura inducuntur per productionem in spatium, mediante spatio fit illis praesens, quando iterum tolluntur, non est ipsis praesens, quia amplius ipsae creaturae non sunt, nec tamen per hoc mutatur, quia per productionem creaturarum nihil de novo acquirit, & per destructionem nihil perdit.

**Instabis:** Omne ens in actu primo tale, fit tale in actu secundo per aliquod de novo superadditum, sed Deus est tantum praesens creaturis non existentibus per actum primum; ergo fit praesens illis in actu secundo per aliquod de novo superadditum: patet major: probatur minor: quia Deus est omnibus praesens per immensitatem, sed immensitas est attributum in actu primo; ergo est praesens illis per actum primum. Sed respondeo negando minorem cum probationis mi. quia immensitas non est actus primus, sed secundus, quod patet ex eo, quod neque aeternitas sit attributum in actu primo, nam secundum Boethium, est tota simul & perfecta beata possessio, sed tam bene aeternitas commensuratur tempori, quam immensitas loco; ergo si aeternitas est actus secundus, etiam erit immensitas. Deinde si daretur, esse actum primum, hoc nihil obesset conclusioni, quia tamen exinde non liceret inferre, quod esset praesens rebus per aliquid realiter superadditum.

**Dico 3.** Deus non est in loco, seu spatio per suam operationem: haec est contra Thomistas & Bernardi

**Probatur ex Autoritate D. Bernardi** Serm. 3. super Missus est. Ubi dicit: Deum ubi esse per suam substantiam; ergo ex mente D. Bernardi non est praesens per operationem.

**Probatur etiam ratione:** Si Deus non esset praesens omnibus rebus per suam substantiam, sed solum per operationem, sequeretur, quod, si in spatiis imaginariis moveret aliquod corpus, lapidem verbi gratia, aut etiam in vacuo, quod mutaretur localiter, sed hoc implicat & repugnat immensitati divinae, ergo: probatur sequela, quia si esset vacuum aliquod quadratum, & Deus moveret lapidem ab uno latere ad alium, tunc in alio latere de novo acciperet esse locale, quia de novo operaretur ibi; ergo mutaretur localiter, probatur ant. quia antecedenter ibi non erat, cum antecedenter ibi non operaretur: ergo

### QUAESTIO III.

*Quomodo Angeli sint in Loco?*

**Angelos esse in loco, res omnino extra forum contentiosum, litesq;** Scholasticas deducta est, nam hoc probant clarissime sacra paginae, Sanctorumq; Patrum indubitata testimonia, qui angelos alios e caelo dejectos, ad Tartara deltrufos, alios in aere Principes tenebrarum harum & rectores mundi docent, alios fidelium praesente orationibus, easq; in sublime Altare deferre perhibent, quod Mellissius Doctor suus inculcavit frequenter verbis & testatum reliquit scriptis, sic enim ait Serm. 7. in Cant. *Dolo proinde, aliquos vestram gravi in facris vigiliis deprimi somno, nec caeli Cives revereri, sed in praesentia Principum, tanquam mortuos apparere, cum vestra ipsi alacritate permoti, vestri in crebris sollemnium gratulentur & delectentur, vercor, ne vestram desideriam quandoq; abominantes, cum indignatione recedant, & incipiat unquamq; vestram sermo cum gemitu dicere Deo: Longe fecisti Notos a me &c.* Id propter attendite Principes vestros, cum statu ad adorandum vel psallendum, & stete cum reverentia & disciplina, & gloriamini, quia angeli vestri quosdam vident faciem Patrum; Nimirum missi sunt in ministerium propter nos &c. breviter & compendiosius ait D. Aurelius: *Quidquid est, alicubi esse necesse est, sed Angeli sunt, ut fide creditur, ergo necesse est, eos alicubi esse, adeoque in loco.* Nec de hoc ulterius est controversia; maxima tamen inter Thomistas & Scotistas, quorum primi putant, Angelos non esse in loco, nisi per solam operationem, ita, quod si non operantur alicubi, ibi non sint, e contra vero Scotistae putant & docent, esse eos in loco, non per operationem, sed per suam substantiam & naturam, cum quibus etiam resolutive

**Dico:** Angelus non est in loco per solam operationem, sed etiam per suam substantiam. Ita Authores res secundae sententiae. & ante ipsos Mellissius Bernardus Serm. 5. in Cant. ubi ait: *Illud autem scitote, nullum creatorum spirituum per se nostrum ministerio applicari, ut videlicet nullo mediante nostris*

siue corpora instrumento (suprà enim multa dubitative de Angelorum corporibus asseruit) in nobis immisceatur & infundatur quo ejus participatione docti, siue doctores vel boni, siue meliores efficiantur, id est per suam solam operationem voluntatis & clarè suprà relat. Serm. 86. de diversis ait: Locum cuiuslibet rei esse finem suæ substantiæ; ergò locus angelorum non est per operationem, sed per substantiam.

II. Probatur etiam ratione primò.

Potest Angelus operari in aliquo loco, in quo non est; ergò Angelus non est in loco per operationem: patet ant. quia possunt illud aliqua, quæ sunt imperfectioris naturæ, quàm sit natura angelica, nam quotidiè faciunt hoc astra, cœli &c. quæ in terris producunt mineralia, ergò: probatur etiam consequentia. Quia si angelus esset in loco per operationem, deberet esse in omni loco, ubi est sua operatio, sed sua operatio potest esse in pluribus locis distantibus & adæquatis totalibus; ergò etiam angelus deberet ibi esse & si esset, tunc esset naturalitèr replicatus in pluribus locis adæquatis: probatur minor. Si Angelus, verbi gratiâ, aliquis ex inferioribus loqueretur Archangelis, ut fieri posse non est dubium, cum etiam ego quotidiè pro cathedra facio, tunc esset in omnibus locis Archangelorum, in quibus produceret suam locutionem, sed Archangeli possunt esse centum, qui audiant suam locutionem; ergò ille Angelus loquens esset in centum locis Archangelorum, & consequentèr naturalitèr in tot locis replicatus, quæ omnia sunt absurda, adeoque quàm maxime fugienda.

III. Probatur secundò: Potest ex libertate sua cessare ab omni operatione, quod non videtur implicare, cum sit agens liberum, vel saltem poterit à Deo impediri, quò minus operetur, sed in tali casu angelus erit, & tamen non operabitur; ergò erit in loco & non per operationem; probatur minor, quia tunc non cessabit esse; ergò erit in loco adhuc, sicut antecedentèr fuit, probatur ant. quia angelus per liberam suam cessationem ab operatione non destruet se, nec per denegatum concursum ad actiones suas annihilaretur, cum angelus alius vel etiam ipse Deus videret eum esse adhuc hic, verbi gratiâ, Camencii in Refectorio, ergò. Nec dicas, in tali casu Angelum non futurum in Refectorio Camencensi actu, sed tantum habitudine, quia esset actu indistans ab hoc refectorio; ergò actu esset in loco, id què formalitèr, cum hoc nihil sit aliud, quàm ab eo nullo modo esse distantem.

IV. Probatur Conclusio tertio:

Possunt duo Angeli secum invicem pugnare & ab eodem loco expellere, ut factum legitur in Apocalypsi beati Joannis, sed in tali casu Angelus devictus pelleretur loco, non per suam operationem; ergò etiam antecedentèr non fuit in eo per operationem: ma. est certa, minor probanda est: Quia tunc angelus vel invitatus & renitendo perderet locum, vel indifferenter habendo, si renitendo, haberet operationem ad hunc locum, secundum velle, quem tamen perdere cogere, si indifferenter se

F. Amandi Hermann Physica.

habendo; ergò tunc non ageret & operaretur, & tamen alium acquireret locum. Confirmatur: Quando anima Lazari fuit deportata ad sinum Abrahe, illa accepit locum per solum motum Angelorum, & non per operationem suam, ergò. Sed in Contrà

**Arguitur:** Si Angelus est in loco per suam substantiam, sequeretur, Angelum debere semper habere æqualem locum, sed hoc videtur esse contra naturam angelicam actualitatem, & spheram sui termini, ergò: probatur sequela, quia substantia ipsius est semper æqualis. Sed respondeo negando sequelam, cujus probationem dist. Substantia Angeli est semper æqualis, secundum entitatem & rationem fundamentalem essendi in loco, concedo, secundum applicationem per imperium voluntatis determinantis substantiam ad majorem vel minorem locum occupandum, nego ant. & consequentiam. Itaque licet fundamentalitèr habeat angelus esse in loco per suam substantiam, quoad magnitudinem, tamen intra suam spheram habet à voluntate.

**Instatur:** Si Angelus est in majori, vel minori loco per determinationem suæ voluntatis, sequeretur, eum esse in illo loco majori vel minori, per suam operationem, determinatio enim voluntatis est utique sua operatio; ergò etiam simpliciter in loco per suam operationem. Respondeo distinguendo sequelam; erit per suam operationem & determinationem in majori, vel minori loco effectivè, concedo, erit per suam operationem in loco, tanquam per rationem formalem vel fundamentalem, nego ant. & consequentiam.

**Urgetur:** Sequeretur, quòd Angelus posset se ab omni loco absolvere, quòd est inconveniens. Sed respondeo negando sequelam, vel si mavis, distingue; poterit se ab omni loco, secundario & Aristotelico absolvere, transcat, quia hoc non videtur implicare, quò minus si Deus faceret vacuum intra spheram ignis, quò minus, inquam, posset se illuc ponere, imò defacto, cur non posset se ponere supra convexam cœli supremi: posset se absolvere ab omni loco primario & per se, seu ab omni spatio, nego sequelam; quia quemadmodum non potest se destrucere, ita nec potest se ab omni tali loco absolvere. *Eo ipso enim, quòd est, necesse est, ut alicubi sit, ut frequentèr intonat magnus Augustinus.*

QUÆSTIO IV.

De Modo Essendi in Loco Corporum.

Certum quoque est, omnes substantias corporeas esse in loco, & hoc quidem circumscriptivè quemadmodum angeli dicuntur esse in loco definitivè, difficultas tamen est; An, quando totum aliquod Physicum ponitur in loco aliquo, verbi gratiâ homo, singulæ partes hominis habeant suas particulares præsentias & singulares ubicationes, an verò ubicentur & præsententur unâ præsentia totius, similiter an etiam quantitas & qualitates in homine repertæ

VI. Argumentum in contrarium.

I. Explicatur sensus questionis.

singulæ suis propriis præsentis ubicentur? De partibus tamen integran- tibus non currit quæ- stio, quia hæc supponuntur ubicari particularibus præsentis, nam præsentia manûs non est pedis, nec pedis est capitis &c. Itaque ad quæstionem

II.  
Omnes partes  
substantiæ  
quantitas &  
qualitates  
sunt in loco  
per propriam  
præsentiam.

**Dico:** Partes essentielles substantiæ corporeæ, imò etiam quantitas, & quælibet qualitates sunt præ- sentes in loco per propriam præsentiam. Ita Sco- tistæ communitè. Et

**Probat**ur, quòd singulas partes, prima quidem sic de hominis partibus: Nullum spiri- tuale potest esse præsens per ubi circumscripti- vum, sed anima hominis est spiritalis, ergò non potest esse præsens loco per ubi corporis, quod est ubi circumscriptivum, patet ma. quia ubi circumscriptivum exigit commensurationem partium rei locatæ ad partes rei locantis, anima non habet extensionem partium, ergò.

**Sed probatur** etiam universalitèr de quibuscunque aliis formis substantialibus pri- mò: Quia licet aliqua uniantur in eodem spa- tio temporis, non tamen durant unicâ duratio- ne, sed duabus; ergò etiam, licet aliqua unian- tur in eodem loco, non debent existere unâ præsentia, patet consequentia à paritate, proba- batur ergò ant. materia est unita cum forma & existunt in eodem tempore, sed non existunt eadem duratione, ut de se patet, ergò.

**Secundò probatur:** Item, potest Deus destruere formam substantialem, & relin- quere materiam nudam & spoliatam omnibus accidentibus, sed destructâ formâ destruitur etiam ejus præsentia, quia destructo subjecto destruitur etiam ejus modus; ergò materia exi- stit per præsentiam distinctam à præsentia for- mæ, non enim est necessè, ut materia etiam sta- tim destruat. Eodem modo potest fieri argu- mentum de forma, si destrueretur materia.

**Imò de omnibus accidentibus,** de quibus probatur Conclusio primò sic: Si de- strueretur quantitas & relinqueretur substan- tia sine ea, hæc non statim deberet deperdere suam præsentiam quam in loco antè habuit, & si substantia destrueretur reliquâ quantitate, hæc etiam non deberet statim perdere & mutare suum locum; ergò quantitas non est in loco per præsentiam substantiæ, nec substantia per præ- sentiam quantitatis.

**Secundò:** Quandocunque aliqua for- ma potest poni in pluribus & non est potior ra- tio, cur sit in uno subjecto & non in alio, debet poni in omnibus, sed non est ratio, quòd præ- sentia & ubicatio, quæ est forma respectiva, po- natur in quantitate potius, quàm in qualitate vel substantia, in quibus omnibus esse potest; ergò debet poni in omnibus: probatur ma. quia idèò dicitur, quòd similitudo inter duas rosas tam benè sit in rosa A, quàm rosa B, & idèò ad- mittitur apud Scotistas duplex unio in compo- sito substantiali, quia tam benè materia dicitur uniri formæ, quàm forma materiæ: probatur min. quia alioquin si poneretur in uno subjecto præsentia, deberent omnia alia esse in loco per hanc præsentiam, quòd inconueniens est: De- inde quando separantur accidentia à substan-

tia, quælibet habent proprias præsentias; ergò etiam habebant conjuncta.

**Arguitur:** Non sunt multiplicanda en- tia sine necessitate, sed nulla est necessitas in composito aliquo substantiali ponere plures ubicationes: ergò: probatur mi. Quia si unica fuerit, omnia, quæcunque unita fuerint compo- sito, erunt præsentia, ergò. R. negando mi. Quia necessitas est, quia potest aliquid compositum poni in uno loco cum quantitate, & omnibus qualitatibus & in alio loco sine omnibus illis, quod signum evidens est, illa non poni in loco eadem ubicatione. Si autem ista omnia ubica- rentur unicâ ubicatione, tunc esset impossibile, ut unum ubicaretur sine altero, ut patet, cum materia non possit ubicari sine seipsâ, &c.

**Instatur:** Non potest unum compo- situm poni sine quantitate & qualitatibus in uno loco & in altero sine illis, nisi per Dei poten- tiam; ergò, naturalitèr loquendo, omnia sunt ubicata unâ ubicatione, licet supernaturalitèr ubicarentur pluribus. Sed R. negando conse- quentiam, quia, si semel unicâ ubicatione compo- situm non potest esse in loco, nunquam erit, tum, quia Deus non variat naturas rerum, tum, quia forma nunquam impeditur, quod potest præstare in genere formæ, si autem impeditur, signum est, quòd nunquam præstare poterit.

**Arguitur secundò:** Omnia, quæ sunt in toto quanto, sunt quanta eadem quanti- tate; ergò etiam omnia, quæ sunt præsentia in eodem loco, sunt præsentia unicâ ubicatione. R. negando consequentiam; Disparitas est, quia plures præsentia sunt composibiles ad se- invicem, non verò plures quantitates.

**Instatur:** Quantitas est fundamentum, seu ratio fundandi præsentiam; ergò si quanti- tas est una, etiam præsentia & ubicatio erit una. R. primò, negando ant. Quia fundamentum est substantia, imò dici potest, esse omne id, quod potest esse præsens in loco. Et si tibi hoc non placet. R. secundò dist. Quantitas est ratio fun- dandi præsentiam, quæ facit esse in loco impe- netrabilitèr, concedo ant. quæ facit esse in loco simpliciter, aut definitivè, nego ant. & similiter dist. consequens. Contrà i. Responsum.

**Urgetur:** Non potest aliquid esse fun- damentum præsentia, nisi quod potest per se moveri motu locali, sed multa, quæ sunt in compo- sito, non possunt per se moveri motu locali, ergò. R. negando ma. Quia in omni debet poni præsentia, quod potest moveri, siue postea moveatur per se, siue non, dummodò res sic mo- ta possit esse in loco præsens absque eo, quòd etiam illud alterum sit præsens, quæ est ratio multiplicandi præsentias.

## QUÆSTIO V.

An res possint aliqua esse, & non esse in ullo Loco?

**Ad hanc quæstionem** Scotistæ defen- dentes Locum Aristotelicum superficiei, non modò respondent, id fieri posse, ut res aliqua sit, & tamen nullibi sit, imò hoc defac- tò contingere cum Cælo supremo, quod quoad superficiem con- vexam, seu quoad locari non est in aliquo loco, bene

benè tamen quòad superficiem concavam, seu quòad locare; Quidquid tamen dicant ipsi, ego

**Dico:** Nullam creaturam esseabilem, quæ ad extra producta sit, & non sit in aliquo determinato ubi, seu: Nullam creaturam posse esse & nullibi esse: Ita Scotistæ complures post subtilem Doctorem, & Recentiores catervatim contra Pontium, Vasquem & Oviedo.

**Probatur Conclusio primò**

Authoritate Sanctorum nostrorum Doct. D. Augustini Epist. 7. ubi ait: *Spatia Locorum tolle corporibus, nunquam erunt & quia nunquam erunt, nec erunt:* & 151. docet: *Omne corpus in loco esse:* lib. de immort. animæ: cap. 1. ait: *Quidquid est, nunquam esse non potest.* D. Bernardus, licet hoc expressis non habeat terminis, clarè id tamen innuat, dum docet: *Finem substantia cuiuslibet rei locum esse.* Ex quo sic argumentor: Implicat rem esse sine suæ substantiæ sine, id est, sine suæ naturæ limitatione; ergò implicat creaturam esse sine loco & omni ubi, quod Confirmari potest tali ratione: Implicat rem esse in rerum natura & non durare; ergò etiam implicat rem esse extra suas causas sine omni ubicatione.

**Probatur Conclusio etiam**

Ratione, primò: Si posset aliqua creatura esse & nullibi esse, maximè, quæ fuisset creata ante mundi constitutionem, vel defactò in spatiis imaginariis vulgò dictis, sed hæc necessariò esset in loco; ergò non potest aliqua creatura creari, quæ non sit in loco: probatur mi. tum, quia locus nihil est aliud, quàm spatium, ut supra dixi: tum sic, si aliqua creatura crearetur in vacuo, quod Deus potest facere, etiam secundum ipsos Adversarios, à terra usque ad spheram ignis: illa creatura in eo casu esset in loco; ergò etiam illa, quæ crearetur in spatio imaginario; probatur consequentia ab omnimoda paritate, cum spatium imaginarium & vacuum inter se non differant, nisi penes terminos, quòd hoc scilicet, sit finitum, alterum infinitum.

**Probatur secundo:** Nulla creatura existere & creari potest, cui non sit Deus intimè præsens; ergò etiam nulla res, quæ non sit alicubi: ant. est certum & à nemine negatur: probatur consequentia, Deus esset illi creaturæ præsens intimè; ergò etiam creatura Deo, sed esse præsentem alicui, arguit locum; ergò illa creatura esset in loco: probatur ma. quia correlativa sunt ista; ergò si Deus est præsens creaturæ, creatura erit præsens ipsi. Confirmatur: illa creatura esset Deo præsens non in quantum Deus ubiq; est, alioquin esset immensa, sicut Deus, sed tantum prout Deus habet virtuales determinationem; ergò etiam tantum corresponderet ipsi in quantum haberet virtuales determinationem, & consequentèr haberet determinatam ubicationem.

**Dices:** Creaturam illam futuram intimè præsentem Deo propter Dei immensitatem, non verò per ubicationem in ipsa creatura receptam. Sed Contra: Illa creatura non esset præsens Deo ubiq; ergò per aliquod in ipsa superadditum esset potius præsens huic virtuali

F. Amandi Hermann Physica.

determinationi Divinæ, quàm alteri; probatur consequentia, quia illa creatura est indifferens, ut sit præsens huic virtuali determinationi, quàm illi; ergò quòd huic sit præsens & non illi, per aliquid superadditum esse deberet, quia illa creatura, quæ esset præsens virtuali determinationi Divinæ A, posset fieri præsens virtuali determinationi B, etiam postquam jam semel posita fuit ad determinationem virtuales A. Confirmatur: Quia si Deus in tali casu crearet duas creaturas, tunc non esset utrique præsens intimè per eandem virtuales determinationem, alioquin etiam ipsæ creaturæ essent sibi intimè præsentès; ergò per aliam & aliam, & consequentèr per aliquod spatium inter se distans; ergò sunt & essent in loco, distantia etenim quælibet arguit locum, sicut etiam ipsa instantia.

**Probatur Conclusio tertio:**

Nulla fieri potest creatura, quæ non posset moveri; ergò nulla creatura fieri potest, quæ non sit in loco: ant. patet: probatur consequentia; Omnis motus localis supponit ubi, ergò: probatur ant. quia est transitus ab uno ubi ad aliud. Sed in contrà

**Arguitur:** Omne absolutum prius alio

potest esse sine quocunque posteriori, sed creatura quælibet, est aliquid absolutum prius, quàm sit ubi & præsentia localis; ergò poterat creatura produci sine illo posteriori ubi, quia poterit Deus producta creatura suspendere suam actionem ad producendum ubi. Sed respondeo dist. ma. nisi prius absolutum dicat necessarium respectum & dependentiam ad posterius, concedo, si dicat, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam, si enim argumentum valeret, concluderet etiam, quòd posset aliqua creatura existens intra spheram hujus mundi absolvi ab omni ubi, quia tunc creatura est aliquid absolutum prius ubicatione; ergò poterit Deus producta creaturâ suspendere actionem ad producendum ubi, & sic etiam hæc esset sine omni ubi, quòd tamen Advers. negant.

**Instatur:** Quòd creatura ponatur ad esse

sine omni ubicatione, nulla est omninò implicancia, ergò. R. negando ant. Quia implicancia est formalis contradictio, quæ exinde sequeretur, nam esset hæc & non esset hæc, quod implicat, esset enim, quia quælibet res necessariò incidere debet in aliquam partem spatii imaginarii, & aliquam determinationem virtuales præsentia Divinæ; Non esset verò ex supposito.

**QUÆSTIO VI**

An duo corpora possint esse simul in eodem loco?

**Doctor Subtilis** hanc & sequentem quæ-

stionem, more suo, subtilissimè resolvit & probat, verum tamen aliqui ejus rationes non penetrant vel cavillant, aliqui verò, quorum syncerior est mens, & amor veritatis purior, sicut alibi, ita hæc doctrinam ejus quàm summè reverentur & amplectuntur, etiam si non sint de iis, qui in verba ejus jurarint, ut est Pater Thomas

V.

VI.

Argumentum in contrarium.

III.

VI.

I.

Doctor subtilis defenditur & laudatur.

Comptonius S. J. Doctor solidus & moderatus, verè morigeratus, qui, postquam retulisset sententiam Durandi & Recentiorum Thomistarum, negantium duo corpora posse esse in eodem loco, aut idem corpus in duobus, & postquam insinuasset sententiam Alentis & communiorum priori oppositam, ait disp. 35. Phys. Sect. 3. n. 4. Tandem hanc sententiam in 4. d. 10. q. 2. tenet & optimè explicat, & illustrat, auctissimu Scotu, Doctor verè subtilis, Oxoniensis quondam Academiae splendor, non alienigena, ut quidam non rectè opinantur, sed in Anglia natus, ut clarè in sua Britannia ostendit Gu. Camdenus in Northum p. 670. Horum tamen hac in parte studium non improbo, ut enim est Scotu, ut non tres tantum, sed & trices tres de eo nationes meritò certare possint. Sed ad rem ipsam progrediendo, quaestio procedit de duobus corporibus completis, idquè, num naturalitèr? an verò tantum Divinitus duo corpora in eodem loco esse possint? Utrumquè est resolvendum, & ad primum

## II.

Duo corpora non possunt esse in eodem loco naturalitèr.

**Dico I. Duo corpora nequeunt naturalitèr esse in eodem loco.** Ita Doctor supra & communitur.

**Probatur primò:** Ex autoritate D.

Augustini contra Epist. funda. cap. 16. ubi ait: *Quidquid qualibet crassitudine distenditur, non potest, nisi minus per partem habendo aliud hic & aliud ibi: Minor est enim digitus, quam tota manus & minor est digitus unus, quam duo & alibi est iste digitus, alibi ille, alibi tota manus. Similitèr aërem partes suas quæque implent locos, nec fieri potest, ut aër, quo impletur hæc domus, simul secum habere possit in eadem domo etiam illum aërem, quem vicini habent: &c.*

## III.

**Probatur secundò ratione:**

Quia impenetrabilitas naturalis ita annexa est quantitati, ut ea nullatenus agentis naturalis virtute separari possit, sed omnia corpora habent annexam naturalitèr quantitatem; ergò habent annexam impenetrabilitatem.

## IV.

**Probatur tertio** Experimentiâ: Quia

videmus, quòd ad positionem unius corporis semper expellatur aliud, sive densum illud sit, sive rarum, sive fluidum, sive solidum, sed hoc non contingit ob aliam rationem, nisi quia duo corpora, qualiacunque demùm illa sint, naturalitèr simul esse non possint; patet ma. quia ad applicationem ferræ vel securis, cedit lignum, ad evibrationem globi tormentarii perforatur murus, franguntur lapides & saxa, ad intrusionem gladii dividitur corpus humanum & econtrâ, si unum corpus non expelleret aliud, ita, quòd simul compenetrativè esse possent, esset semper timendum nobis, nè pergentes in terra solidissima mergeremur, sicut sibi mergi timuit Divus Petrus, quando ambulavit in fluctibus maris, & eodem modo timere quis deberet si in Golfo navigaret, nè tota navis in fundum descenderet, ac similia alia, imò si unum corpus posset in loco esse cum alio, frustraneæ essent cistarum & thesaurorum observationes, quia quilibet posset se illic immittere & quæ sibi placita forent, inde auferre.

## V.

**Verùm tamen non desunt aliqua experientia, quæ videntur contrarium demon-**

strare, nam in primis panis immersus in vinum ebibit illud; ergò panis & vinum sunt in eodem loco. Deinde dum ex aqua & farina conficitur panis, aqua penetrat omnes partes farinae. Tertio, vas cineribus plenum tantum capit de aqua, quantum si cineres ibi non essent. Sed respondeo: Omnes & singulas illas experientias nequidquam convincere. Nam in primis vinum non est in eodem loco cum pane, sed tantum in poris ejus continetur: ad secundam dico, aquam commisceri non per compenetrationem, sed per juxta positionem; Ad tertiam denique experientiam respondeo, negando eam simpliciter, aut si vera est, tunc dico, rationem esse, quòd in cineribus multum de aëre, & de exhalationibus contineatur, quæ postmodum per aquam expelluntur, & reliqua aqua transit ad ipsos poros cinerum. Alia videtur superesse realis difficultas de duabus superficiebus, quæ se invicem secundum se totas tangunt; ergò illæ duæ superficies sunt in eodem loco. Sed respondeo, eas quidem se immediatè tangere, sed hoc non est aliquod inconveniens, quòd duæ superficies contiguæ seipsas tangant, bene tamen, quòd duæ continuæ, propter infra dienda de continuo, aut ex hoc non sequitur, quòd sint in eodem loco, maxime ex sententia Adversariorum, cum non possit assignari, quænam haberet ratione locantis, & quænam rationem locati, & sic non modò duorum corporum planorum superficies se penetrarent, sed etiam omnium aliorum, adeoque merè admittendæ essent compenetrationes, unde hoc argumentum Adversariis solvendum est, quia mihi potius favet ad negandam superficiem esse locum. Sed venio ad principalem quaestionis difficultatem, an videlicet duo corpora completa totalia possint esse in eodem loco circumscriptivè per Dei potentiam ad quam

**Dico 2. Possunt Divinitus duo corpora esse in eodem loco circumscriptivè simul & semel.** Ita Doctor 4. d. 49. q. 16. n. 4. & 5.

**Probatur primò** Autoritate Sanctorum Patrum D. Augustini Epist. 3. ubi ait: *Ipsa virtus Dei per inviolatæ Mariæ virginis a virginis membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit. Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulariter. Demum Deum aliquid posse, quòd nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. Simili modo describit Mellifluus Doctor admirabilem sacratissimæ Virginis Mariæ partum, ut Mater esset sine corruptione, quòd nequaquam contigisset, nisi in partu duo corpora penetrata fuissent, nam alias claustrum virginale læsum fuisset. Audiatur suavissimè alloquens ipsam Theodoton. Sermon. 3. super Missu est. *Aperi Virgo sinum (sunt ipsiusmet verba) Expande gremium, prepara uterum, quia ecce facturus est tibi magna, qui potens est, in tantum, ut pro maledictione Israël, beatam te dicant omnes generationes. Nec susceptam habeas prudenis Virgo secunditatem, quia non auferet integritatem. Concupies, sed sine peccato, gravida eris, sed non gravata, paries, sed non cum virginitate**

nesces virum & gignos filium. Qualem filium? illum eris Mater, cujus Deum est Pater, Filium paternae charitatis eris corona tua castitatis, Sapientia paterni cordis eris fructus uteri virginali. Deum denique paries, & de Deo concipies. Confortare ergo Virgo secunda, casta puerpera, Mater intacta. & scrim.

VII. Dices: Sanctos Patres allatos optime explicari debere de integritate Matris Virginis per hoc, quod uterus virginalis simpliciter fuerit dilatatus sine ulla fractione membri virginitatis, sicut contigisset aliis foeminis, si Status Innocentiae perseverasset. Sed contra primò: Sitilis dilatatio uteri & membri virginei salvarer Matris integritatem, & hoc idem contigisset aliis foeminis in Statu Innocentiae, sequitur, quod omnes foeminae in Statu Innocentiae post partum mansissent Virgines, aut si illae propter dictam uteri dilationem non mansissent, quod nec Beatissima Mater Maria mansisset. Contra secundo. Responso illa exiguum praedicatum, imò parvum cultum Virgini purissimae affert, ex eo, quod in suo partu assimilaretur aliis Mulieribus, cum tamen Patres eam compellent singularem solum sine Exemplo, quae venire beato gaudia Matris habens cum virginitatis honore, nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Contra tertio: Si uterus Virginis fuit dilatatus in partu, ergo non fuit ita solide clausus, sicut ante partum, adeoque non erit aequaliter Virgo ante, in, & post partum, omnis enim dilatio minuit soliditatem clausurae. Contra quartò. Quando uterus virginis amabilis dilatatus fuit, vel fuit claustrum à loco amotum, vel non; si fuit amotum, ergo claustrum non mansit integrum, & eodem modo, ut fuit antecedentè, quod minus rectum, minusque pium est dicere, Si verò dicas, claustrum mansisse immotum à loco, ergo duo corpora fuerunt in eodem loco, quia Christus Dominus transivit per illud immotum. Denique Responso est extorta, & minus honorem, cultum, devotionem & pietatem promovet, quam fieri debeat, cum sit omni laude dignissima.

VIII. Dices 2. Integritatem gloriosissimae virginis, quam Patres ita deprædicant, salvari adhuc posse alio modo, absque eo, quod dicatur, fuisse factam corporum compenetrationem, nempe, asserendo Christum Dominum transisse de extremo in extremum, non transeundo per medium, quo facto Mater integra permanfit sine ulla penetratione. Sed præterquam quod difficilius sit, aliquid transire ab extremo in extremum, non transeundo per medium; Responso non videtur favere genuino & claro sensui Scripturae, Mysteriisque Fidei, nam si

transisset Christus Dominus de extremo in extremum, non transeundo per medium, non posset dici natus de Beata Virgine, nasci enim non significat habere suum esse quomodocumque; extra suas causas, sed per particularem influxum illius, quæ dicitur parere, si autem sic transisset, nullo modo talem influxum præstitisset, quare etiam, qui posthumi defunctis Matribus prodeunt in lucem, non dicuntur nati, ut patet in Sancto Raymundo, Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum & S. Romanae Ecclesiae Cardinalis, qui ob hoc, quod ex defunctae Matris latere excisus fuerit, cognomento dictus est Non Natus.

Restat autem probare Conclusionem rationibus, & primò desumo ex D. 4. d. 10. q. 2. n. 21. Quidquid non involuit repugnantiam & contradictionem, potest divinitus fieri, sed esse duo corpora in eodem loco, non involuit repugnantiam & contradictionem, ergò. materia est certa, probatur mi. Ibi solummodò est contradictio, quando de eodem, secundum idem, & pro eodem aliquod affirmatur & negatur, sed quando duo corpora essent in eodem loco penetrata, hoc non fieret, ergò: probatur minor: Quia idè affirmaretur, quia poneretur quantitas, cujus ratio est expellere aliud ab eodem loco & idè negaretur, quia non expelleret, sed hoc non facit idem affirmari & negari, ergò: probatur mi: Quia effectus formalis quantitatis non est expulsio alterius quantitatis ab eodem loco, ergò: probatur ant. quia expulsio est quid negativum, sed nullum negativum est effectus formalis & primarius formae positivae, ergò neque quantitatis: probatur materia à paritate aliarum formarum, tam substantialium quam accidentalium, nam effectus formalis aquae non est expulsio ignis, nec effectus formalis albedinis est expulsio nigredinis, sed constituitur aquam, & constituitur album. Ergò &c.

IX. Probatur secundò: Potest esse aliqua quantitas absque extensione locali circumscriptiva, ergò poterit etiam esse unum corpus penetratum cum alio corpore; patet ant: Quia in Eucharistia est corpus Christi quantum, absque ulla extensione locali circumscriptiva, cum totus Christus sit in tota hostia, & totus in qualibet parte: probatur consequentia, magis connaturale & adnexum est quantitati seipsam extendere circumscriptivè, quam aliam expellere ab eodem loco, ita ut cum alia compenetraretur, ergò: probatur materia: Quia quodlibet, quod est ad se, est magis adnexum absoluto, quam quod est ad aliud, sed extensio ipsiusmet quantitatis est ad se, ergò. Per hoc argumentum solvitur alia instantia Durandi, quod scilicet videatur esse de ratione quantitatis extendere partes substantiae, & sic si duae quantitates possent se invicem penetrare, posset etiam eademmet, & sic penetrata esset sine ratione sua formali, verbi gratia, linea si penetraretur secundum suas partes, non haberet amplius rationem lineae, cum ipsius ratio non sit esse in puncto; quia ratio quantitatis est tantum extendere in ordine ad se, non verò in ordine ad Locum, unde licet tunc aliquod corpus non esset amplius extensum in ordine ad locum, est tamen

tamen in ordine ad se, prout fide creditur evenire in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, in quo, ut dixi, licet omnes partes sint compenetratae per ordinem ad locum, non sunt tamen compenetratae in ordine ad se, sed extensa, quae extensio in hoc consistit, quod caput sit immediatè unitum collo, collum humeris, humeri pectori, & sic deinceps, & quod caput sit immediatè unitum pedibus, quamvis sit in loco pedum, quod necessariò dicendum est, nisi velimus dicere, corpus Christi esse ibi sine quantitate, contra Concilium Tridentinum, aut esse ibi corpus modo confuso, & sic non esset debitè organizatum, nec consequenter animatum, cum anima non sit, nisi in corpore organizato ut est Actus, Sed

X. Dices: Duae partes quantitatis successivae non possunt esse simul in eadem duratione, ergò nequè duae partes quantitatis permanentis. R. negando consequentiam; Ratio disparitatis est, quia partes quantitatis successivae dicunt essentialitèr successivè, non sic autem duae quantitates permanentes, alioquin nec possent duae quantitates successivè esse in eodè loco, una post alteram, quia duae quantitates motus nequeant coexistere simul in eodem tempore, nec successivè.

XI. Dices: Non potest explicari, quomodò illa corpora se habent secundum agere & pati. Sed R. probabile esse, quod eodem modo habent se, quo antecedenter se habuerunt, videlicet, si essent contraria, quod etiam tunc in se invicem agerent, ratio est, quia per penetrationem non tollitur corporum activitas. Eodem modo dico, si quaeratur: An unum videatur per modum unius, an verò per modum plurium, quod si essent ejusdem speciei, viderentur ab oculo humano per modum unius, si diversae, probabile, ut aliud & aliud, sicut etiam ea videret angelus, & anima separata, licet essent ejusdem speciei.

## QUAESTIO VII.

*An idem corpus possit supernaturalitèr esse in pluribus Locis?*

I. *Heretici negant posse poni corpus in pluribus locis.*

Sicut Superiori quaestione examinatum fuit, an duo corpora possint esse in eodem loco, ita hinc quaeritur vice versà, utrum idem corpus esse possit in duobus locis, & hoc sive circumscriptivè, sive definitivè, sive naturalitèr, sive supernaturalitèr. In qua materia Wiclefus, Calvinus, aliiquè heretici negant simpliciter, posse aliquod corpus poni in pluribus locis, etiam divinitus, & hoc potissimum, ut suum apparentius tuncantur errorem de reali praesentia Corporis Christi sub speciebus panis & vini, nam si nequiret unum corpus definitivè esse in pluribus locis, sequeretur optimè, nec corpus Christi ibi esse posse. Divus Thomas 4. d. 19. q. 1. ad 3. & d. 43. q. 2. a. 2. & c. D. Bonaventura, Durandus & potiores Thomistae, quamvis concedant, idem corpus posse esse in pluribus locis, negant tamen, quod possit esse circumscriptivè. Scotus verò 4. d. 10. & signanter q. 2. per totum affirmat, licet natura-

liter idem corpus nequeat esse in duobus locis, posse tamen esse divinitus, tam definitivè, quam circumscriptivè, Scotus sequuntur, praeter suos, cum suo Principe Ochhamo Nominales, Alanus, Sotus, Bellarminus, Major Coninck, Hurtadus, Oviedo, Arriaga, Comptonus & plures alii, quos Authores citant & referunt cumulativè. Sermo tamen est de loco adequato & totali, non verò de inadecuato & partiali. Itaque

DICO I. *Idem corpus nequit naturalitèr esse in pluribus locis adequatis sive definitivè, sive circumscriptivè.* Haec est extra omnium controversiam, & quidem res tam clara est, ut probatione non opus habeat, nam ad replicationem circumscriptivam nulla allegabilis est causa secunda, minùs ad definitivam, cum ad hanc etiam requiratur compenetratio partium quantitatis in ordine ad locum, quam nulla causa secunda, nec angelica quidem efficere potest.

DICO 2. *Potest divinitus unum idem corpus esse in pluribus locis definitivè:* Haec est omnium Catholicorum contra perversissimos haereticos. Et

Probatum principalitèr ex Mysterio Sanctissimi Eucharistiae sacramenti, in quo totus Christus, qui in Caelo ad dexteram Dei Patris sedet, sub qualibet parte speciei panis continetur, cui doctrinè illustre dat testimonium Mellifluus Doctor Bernardus episcopus. 69. ad Guidonem Abbatem de tribus Fontibus, inquit: *Cum ergò priùs de pane corpus, quam de vino sanguis more Ecclesiastico conficiatur, si per oblivionem tardius quod posterius sacramentum est, apponatur, non video, quid sacri praecedentium tarditas possit praeripere consequentium.* Puto enim, quod si Domino post factum de pane suum corpus, vini consecrationem placuisset aliquando intermittere, aut certe penitus omittere, nihilominus corpus mansisset, quod fecerat, nec facti faciendi praesentarent. Haec probatio ex autoritate sufficit, res enim est Theologia, Philosophicè tamen

Probo Conclusionem secundò: Potest Spiritus esse in duobus locis definitivè, ergò poterit etiam corpus: patet antè, quia Angelus potest esse in toto hoc cubiculo, & etiam totus in qualibet ejus parte, ergò simul & semel erit in pluribus locis. Quod si dicas, ista loca non esse adequata, difficultas verò est de locis adequatis, non verò inadecuatis; Nihil evincis, nam argumentor sic: potest aliquid esse definitivè in pluribus locis inadecuatis, ergò etiam in adequatis: probatur consequentia; Quia quae repugnantia est, quod non possit esse aliquid in pluribus locis adequatis, est etiam quod non possit esse in inadecuatis, ergò: probatur antè, quia etiam idem esset reproduendum, repetendum, dividendum à se & c. ergò. Sed res ipsa clarior eradet ex Conclusionem sequenti; unde

DICO 3. *Potest idem corpus supernaturalitèr poni in duobus locis adequatis circumscriptivè.* Ita Doctor subtilis cum Authoribus supra relatibus.

Probatum

**Probatur Conclusio primò**

Ratione desumpta ex Autoritate D. Augustini lib. de Cura pro Mort. ger. cap. 16. ubi ait: *Alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum, alia sunt, quae naturaliter, alia, quae mirabiliter sunt.* Et supra dixit: *Deum, Deum aliquid facere posse, quod nos non possumus investigare.*

**Probatur,** inquam, **Conclusio sic:** Dandum aliquid est, Deum facere posse, quod nos non possumus investigare, quia alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum, sed naturaliter potest esse aliquid in uno loco, imò tam necessario in eo est, ut nec esse possit sine omni loco, ergò divinitus poterit esse in duobus simul, ma. est Augustini: minor est certa, consequentia est optima, quae adhuc probatur, potest semper aliquid fieri divinitus, ad quod natura habet inchoatum principium, ut dictum est de potentia obedientiali, sed natura corporea habet inchoatum principium ad essendum in duobus locis, ergò potest divinitus esse in eis, major supra est probata: probatur mi. quia corpus habet principium, ut sit necessario in uno loco, sed esse necessario in uno loco, est inchoatum principium, ut non necessario possit esse in duobus, ergò; Ex hinc

**Probatur Conclusio secundò**

ex communi quidem, verissimo tamen principio: *Quidquid non involuit contradictionem & formalem repugnantiam, potest Deus facere, nam in hoc sensu nihil impossibile est apud Deum, sed quòd corpus aliquod sit in duobus locis circumscriptivè, non involvit aliquam repugnantiam & contradictionem, ergò; ma. est indubitata: minor patebit ex responsionibus ad argumenta objecta, consequentia ergò est optima, ut, licet nullum aliud argumentum esset, rem posset istud sufficienter reddere probabilem.*

**Probatur Conclusio tertio**

à pari: Potest aliquid corpus poni in duobus locis: ita, ut in uno sit circumscriptivè & altero definitivè, ergò poterit etiam poni in duobus locis circumscriptivè; patet ant. ex Mysterio Eucharistiae in qua Christus Dominus est modo inextenso & definitivè, in caelo verò circumscriptivè juxta illud D. Aug. relati. d. 2. cap. Prima Hæresis: *Donec finiatur seculum, sursum est Dominus:* probatur consequentia: Tum, quia omnes implicantiæ, quae adduci possunt contra existentiam ejusdem corporis in duobus locis circumscriptivè, currunt etiam contra existentiam in uno circumscriptivè, & in alio definitivè, ergò si non obstantibus illis implicantiis unum corpus potest esse in uno loco circumscriptivè & in alio definitivè, poterit etiam esse in duobus circumscriptivè, applicanti patebit antecedens, ergò. Tum, quia quod potest illud, quod est difficilius, potest & illud, quod est facilius, sed difficilius est, quòd unum corpus sit in uno loco definitivè, & in altero circumscriptivè, quàm quòd sit in duobus circumscriptivè, ergò si primum potest Deus facere, ut vel catholicè adversarii concedere de-

bent, poterit & alterum: probatur mi. Illud est difficilius, ad quod faciendum plura requiruntur miracula, sed ad ponendum unum corpus in uno loco circumscriptivè & in aliis definitivè, plura requiruntur miracula, ergò est difficilius: probatur mi. quia ut aliquid ponatur in duobus locis circumscriptivè, nihil requiritur, præterquam quòd corpus sit in hoc loco, & etiam sit in altero loco, ut verò ponatur in alio definitivè, non sufficit, ut corpus habeat alium, & alium locum, sed etiam requiritur, ut in illo alio loco sit compenetratè in ordine ad locum, modoquè indivisibili & spiritali, ita ut existat totum in toto loco, & totum in qualibet parte, sed ad hoc requiritur aliud miraculum, scilicet compenetrationis, ergò plus requiritur. Confirmatur Conclusio, & hæc ratio: Potest unus locus supernaturaliter circumscribere duo corpora quanta, ergò poterit etiam unum corpus circumscribi à duobus locis: ant. patet ex superiori questione, probatur consequentia, quia sicut locus est determinatus, ut unum circumscribat corpus naturaliter, ut omne aliud ab eo excludat, ita etiam est determinatum corpus, ut in uno sit loco, & naturaliter non possit esse in duobus & econtrà, ergò si non obstante determinatione loci ad unum corpus circumscribendum, potest adhuc divinitus circumscribere plura, ita non obstante determinatione corporis ad unum locum, poterit adhuc divinitus circumscribi à pluribus.

**Probatur quarto ex Scriptura: Christi**

Dominus defacto est in caelo circumscriptivè, usque ad resurrectionem universalem hominum, juxta illud Actorum 3. *Quem quidem oportet caelos suscipere, usque ad tempora restitutionis Omnium,* id est, usque ad universalem resurrectionem hominum, ut exponunt eum Sancti Patres, sed hoc non obstante Christus etiam sæpe in terra suis sanctis corporaliter apparere dignatus est, ergò simul fuit in caelo & in terra: probatur mi: Nam apparuit Sancto Paulo, *Damaalum* cum epistolis à summis sacerdotibus proficiscenti, Actorum 9. nec potest dici, quòd tunc fuerit Angelus aliquis, aut corpus aliquod aëreum, tum, quia expressè dixit: *Ego sum Iesus Nazarenum, quem tu persequeris,* tum, quia ipse Doctor Gentium attestatur hoc, dum sese inter oculos Resurrectionis Christi testes commemorat. I. ad Corinth. 15. dicens: *Novissimè autem omnium, tanquam abortivo, visus est, & mihi.* Imò capite 23. recensetur, quòd ei Dominus Iesus secundò apparuerit confortando eum, & exhortando ad constantiam, quoniam sicuti Jerosolymis eum testificatus fuerat, ita Romæ debere testificari. Similiter apparuit etiam Sancto Petro ut narrat Hegesippus lib. 3. Excursus Jerosol. c. 2. Romæ propter persecutionem gravissimam fugienti, ad Portam, nunc dictam Sancti Sebastiani, quem Petrus etiam interrogasse dicitur: *Domine quò vadis?* Cui Dominus: *Romam iterum crucifigi pro te.* Ad quam vocem Petrus perterritus Romam reversus est, in cuius rei, & facti memoriam Sacellum extructum est, dictumquè *Domine quò vadis,* quod meis oculis vidi, & debitè veneratus sum reverentiâ; Divus

Divus Gregorius narrat etiam, quod & Antonio post flagellationem à Dæmonibus percussam & Tarfilæ apparuerit, ergo.

X.

**DICES:** Christum Dominum in his & similibus apparitionibus deseruisse cælum ad breve tempus, & sic non nisi in uno loco circumscriptivè fuit, nec hoc est contra scripturam, quæ tantum de longa mora intelligenda est, quod scilicet Christus per longum tempus non ablit à cælo, usque ad resurrectionem. Sed malè, nam, ut benè responderet Baro; Quelibet exceptio debet minùs excipere, quàm ipsa regula in se contineat, si enim plus contineret, jam non esset exceptio, sed regula, sed exceptio illa plus facit, quàm ipsa regula & doctrina, docens Christum non abcessurum à cælo nisi in die iudicii, ergo illa exceptio de parva mora non valet: probatur mi. quia in die iudicii, non nisi semel in brevissimo spatio, in momento, in istu apparebit extrà, sed defactò non brevi tempore, nec per momentum, sed per notabile abfuit, suis commiscendo sermonem, idèq; sapè, ergo exceptio illa plus facit, quàm ipsa regula & doctrina.

XI.

**Probatur quartò** ab exemplis Sanctorum, qui uno, eodemque tempore in diversis locis fuerunt, ut narrat D. August. lib. de cura pro mort. cap. 17. de quodam Monacho P. Joanne Lycopolitano, Sancto Ambrosio Episcopo Mediolanensi, qui simul Mediolani fuit, & Turonis in funere Sancti Martini, ut habet etiam Breviarium Rom. quod & ipsi S. Doctori Augustino contigit, unde ait serm. 32. cap. 2. de divers. *Quid enim sumus, quia ego apparui istis nesciens? Illi enim me videbant, & ego nesciebam, & admonebantur, ut ad istam Civitatem venirent. Qui sum ego? Homo sum unus de multis, non de Magnis.* De Sancto Adalberto narrat quoque Historia & Breviarium Bohemicum eum Romæ & Pragæ simul fuisse, & hic pontificalibus usum chyrothecam oblitum fuisse, unde nonnullus facetus paritèr & ingeniosus volens Bohemis & Polonis, quis ipsorum Sacras corporis ejus Reliquias possideat, decidere litem concertantibus utrinque, utrisque adscripsit inquit: *Ut vivens, sic moriens duplicem Sanctum deposcit Locum.* Quod qualitercunque sit; simile factum recenset Baro de S. Baldredo, qui in tribus Ecclesiis, in quibus verbi prædicatione laboraverat, sepultus dicitur, & hoc ob contentionem exortam, cum quælibet Ecclesia suum esse diceret. De Sancto Antonio simile sicut etiam de S. Francisco Xaverio glorioso Indiarum Apostolo Ecclesiæ Universæ, & Societatis Jesu summo splendore, & aliis sexcentis, ad quorum omissionem, tum solita brevitatis, tum obviis occurfus stimulant. Sed contra Conclusionem

XII.

Opponitur & explicatur D. August.

**Opponitur** Autoritas Magni Divi Augustini. lib. 20. contra Faustum cap. 21. ubi ait: *Christus secundum præsentiam corporalem simul & in sole, & in luna, & in cruce esse non posset, ergo unum corpus nequit esse in duobus locis consequentiam, quia Divus Augustinus tantum vult, quod Christus non sit ubique, ubi est*

divinitas, sicut moderni volunt ubique, & quod non sit ibi eo modo, quo Manichæi fabulabantur esse, & ratio prioris dicti patet ex eodem Sancto Antistite lib. 22. Civit. cap. 29. dicente: *Nulla creatura corporalis potest, sicut Deus, simul & hic esse & ibi, ex quo tamen non inferitur, quod nullum corpus possit esse in duobus locis, nam per hoc statim non erit ibi, sicut Deus, id est, necessariò, sed mere contingenter, ex libera Dei voluntate & decreto; Deinde Augustinus simpliciter intelligi debet de potentia ordinaria, quia ipse magis Omnipotentiam Divinam extollit, quàm restringat, ut patet ex superioribus, hic autem multum restringeretur, ergo.*

**Instatur:** Si corpus Christi supernaturalitèr posset esse in sole, luna, cruce, altari, sequeretur, quod posset esse in infinitis, sicut dicunt ubique, sed hoc nequit esse, quia alioquin deberet dici immentum, sicut est ipse Deus. Sed Respondeo communi Responsione; Primò, quod ex hinc sequeretur, quod nec corpus Christi posset esse in pluribus locis definitivè, quia sequeretur, quod posset esse in infinitis, quæ existentia adhuc magis argueret infinitatem, quia modus existendi definitivè in loco magis accedit ad modum, quo existit Deus, qui ubique definitivè existit. Respondeo secundo negando ma. quia multa possunt se extendere ad aliqua plura in eodem genere, non tamen ad infinita, ut patet de potentia Animæ, de materiæ capacitate, respectu formæ &c. & ratio est, quia res create propter finitatem suam determinantur, & limitantur tantum, ut non possint ad infinitum extendi.

**Instatur:** Ad minùs sequeretur, quod idem corpus connaturalitèr posset se ponere in pluribus locis, sed hoc est aequè inconveniens, quàm si poneretur per Deum in infinitis, ergo. Probatur sequela, quia si Titius esset replicatus hic & Cisterci, posset se Cisterci movere extra illum locum, etiam usque Hypponem, ergo. Respond. dist. sequela ma. posset se ipsum movere simpliciter & absolute, nego ma. supposito priori miraculo, concedo majorem: & nego mi. quia ex hoc nulla sequitur inconvenientia major, quàm ex eo, quod si creatura in vacuo posita, moveret se de uno spatio in aliud, ubi enim illa esset, vacuum non esset, & dum abit, vacuum ibi facit, quia in simili casu vacuum tantum commutat, non facit, idque supposito priori miraculo.

**Arguitur 2.** Quod est circumscriptivè in uno loco, non est extra illum locum, quia debet circumferri à superficie illius loci, ergo idem non potest esse circumscriptivè in pluribus locis simul: patet consequentia, quia quod est in pluribus locis, debet esse extra unum ex illis, aliàs non esset in altero. Sed Respond. dist. ant. quod est circumscriptivè in uno loco, non est extra illum locum, id est, nulla pars est, quæ non contineretur ab illo loco, concedo autem non est extra illum, id est, non est in alio, nego aut. consequentiamque simul.

**Instatur:** Idem non potest esse simul in hoc loco & extra hunc locum, ergo si est aliquid corpus in hoc loco, non poterit esse extra illum.

illum & in alio. Resp. dist. ant. si ly extra hunc locum sumatur negativè, ut est, esse in hoc loco, & non esse in ipso, concedo ant. si sumatur positivè, id est, in hoc loco, & etiam in alio, nego ant. & consequentiam.

**Urgetur:** Omnis locus circumscriptivus est adequatus locato, ergò quomocumque sumatur, si est in uno loco, non potest esse extra illum, probatur consequentia, quia altoquin sequeretur, quòd prior locus non esset adequatus, sed est, ergò non potest esse extra illum. Sed Resp. Omnis locus est adequatus locato, connaturaliter loquendo, concedo ant. respectu divinæ potentie, nego ant. & consequentiam, & similiter Respondeo ad probationem.

**Replicatur:** Nec supernaturaliter potest aliquid elevari extra spheram activitatis agentis, ergò non extra spheram passivitatis patientis, sed cujuslibet corporis spheræ passivitatis (ut ita dicam) est locus adequatus ipsius, ergò nec supernaturaliter extra eum poni poterit: major probatur, quia oculus non potest elevari ad audiendum, nec auris ad videndum &c. ergò. Respondeo primo negando consequentiam, quia non requiritur tanta capacitas, ut aliquid passivè se habeat, quanta requiritur, ut se habeat activè, unde licet nihil possit elevari ad agendum extra quamcunque spheram, potest tamen elevari ad patiendum, dummodò non sit in subiecto essentialis dependentia. Verum Respondeo secundò dist. ant. nihil potest elevari &c. si non habeat aliquod inchoatum & incompletum principium ad agendum, concedo ant. si habeat, nego ant. & dist. similiter consequens. Itaque si non possit aliquid agens ullâ ratione elevari ad agendum extra suam spheram, fateri deberemus, quòd nullum dari possit miraculum, cum tamen, ut loquitur Divus Augustinus lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 27. *Super hunc motum cursumque rerum naturalem potestas Creatoris habet apud se, posse de his omnibus facere aliud, quam eorum, quasi feminales rationes habent.* Et sic, licet unus locus sit corpori unicunque adequatus, non est tamen respectu divinæ potentie, quia cum naturaliter debeat esse in uno loco, habet inchoatum principium, ut supernaturaliter possit esse in pluribus.

**Arguitur 3.** Omne corpus, quod circumscriptivè ponitur in aliquo loco, debet esse singulare & unum, sed si possit poni in pluribus locis, non maneret singulare & unum, ergò nequit idem corpus etiam divinitus esse in pluribus locis: major patet, quia sicut nihil, nisi singulare extra causas suas ponitur, ita etiam nihil, nisi singulare in loco collocatur: probatur etiam minor: Quia nihil manet singulare & unum, quod est divisibile, sed si esset in diversis locis, esset corpus non tantum divisibile, sed & divisum, ergò: probatur mihi, quia loca illa ipsa inter se sunt distantia, & divisa, ergò etiam corpus, quod est in locis. Sed Respondeo negando mi. cuius probatio-

F. Amandi Hermann Physica.

nis minorem distinguo: Si corpus esset in diversis locis, non modò esset divisibile sed etiam divisum localiter, concedo mi. substantialiter, & entitativè, nego minorem. Itaque licet unum idemque corpus replicaretur hic & Cistercii, illud ipsum corpus non esset in se divisum, sed utrobique esset tota ejus & integra substantia, nec aliquid ejus partibus interponeretur.

**Instatur:** Si tota Substantia corporis esset hic, & tota etiam substantia esset Cistercii, sequeretur, quòd substantia secundum se totam sit divisa à seipsa substantialiter, ergò nulla solutio: probatur ant: quia inter substantiam hic existentem, & substantiam existentem ibi intercedit & interponitur Regnum Bohemie, totaque Germania, sed ubi inter aliqua est talis interpositio, est etiam divisio, ergò si inter substantiam hic & ibi existentem interponatur tota, & tanta corpora, substantia hic, & ibi à seipsa erit divisa. Respondeo negando sequelam, cuius probationem dist. interponitur Regnum Bohemie & tota Germania corpori locato, concedo, corpori locando, nego: ma: Itaq; non amplius dividitur substantialiter, licet alia corpora interponantur post locationem. Ultimo

**Arguit etiam contra Conclusionem XV.**  
Wicel. Idem nequit esse in diversis temporibus simul, ergò etiam idem nequit esse in diversis locis simul: probatur consequentia ab omnimoda paritate, nam uterque respectus est extrinsecus adveniens, ergò si unus non potest multiplicari, nec poterit etiam multiplicari alter. Hoc argumentum desumpsit Wicel. ex Scoto, qui sibi ipsi illud opponit, quodque solvit tripliciter. Primò negando consequentiam & paritatem, quia tempus est de genere successivorum, & sic quemadmodum duo tempora nequeunt esse simul, ita etiam nihil potest existere in duobus temporibus simul, locus verò est de genere permanentium, unde sicut duo loca sibi coexistunt, ita etiam idem corpus in iis simul existere potest. Secundò Respondet Doctor, quòd, sicut idem non potest esse in diversis temporibus eadem temporalitate, ita nec in diversis locis eadem locatione. Tertio retorquendo argumentum in oppositum. Idem locabile simul, id est, in uno loco existens potest esse in diversis temporibus, ergò & simul tempore potest esse in diversis Locis, unde inquit Doctor: *Solvant illud sophisma, & solvant argumentum suum.*

**Pro fine questionis Nota,** quòd omnia argumenta, quæcunque Thomista adferre possunt contra conclusionem nostram de locatione unius corporis in duobus locis circumscriptivè, optime retorqueri possunt de duobus locis definitivè, & in uno circumscriptivè, nam eodem modo sequitur, quòd possit esse in infinitis, & quòd esset extra unum, & non esset, esset adequatus, & non esset adequatus, esset extra spheram, & non esset, esset divisum à se, & non esset, esset

Rrr

XVI.

Argumenta Thomista- rum vetero- quæ sunt ad duplex ubi de- finit.

esset, ut patebit cuicumque benè consideranti & applicanti, quare congruenter Suarez applicat Thomistis illud Divi Augustini: *Ecce quibus argumentis omnipotentia Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.*

## QUÆSTIO VIII.

*Per qualem Actionem possit poni corpus in duobus locis?*

I. Ad plenioram superioris questionis intelligentiam plurimum conducit hæc & subsequens quæstio, quia in iis solvuntur difficultates potissimæ, quas Thomistæ in contrarium adferre possunt, controversitur autem in præsentia, an corpus ponatur in duobus locis per actionem aliquam substantialem, quasi in secundo loco reproduceretur idem corpus, quod dicitur replicatum substantialiter? An verò solum per actionem aliquam accidentalem, quæ terminaretur ad accidens aliquod tantum, & non potius ad substantiam? Ad quam rem breviter resolvendam

II. *Corpus non ponitur in alio loco per actionem substantialem sed accidentalem.*

Dico: *Corpus replicatum ad secundum locum, non fit per actionem substantialem, quasi verò secundò reproduceretur, sed solum per actionem accidentalem, producendo in eo novam præsentiam.* Ita Doctor 4. d. 11. q. 3. Mastrius, Pontius, Baro, &c.

### Probatur Conclusio primò:

Omnibus illis autoritatibus & rationibus, quibus supra probavi nihil seipsum producere posse, nec quoad primum, nec quoad secundum esse, & eundem effectum non posse dependere à duabus causis totalibus. Quod adhuc sic prosequor: Implicat, quòd detur aliqua productio substantialis sine suis terminis per se requisitis tam à quo, quàm ad quem, sicut etiam quæcunque alia actio, si corpus replicatum poneretur in secundo loco per novam reproductionem, daretur actio sine suis terminis per se primariis à quo & ad quem: ergò: probatur mi. terminus à quo per se primarius est privatio, vel negatio compositi, seu termini substantialis, sed si reproducetur, non daretur ista negatio & privatio: ergò: probatur minor: quia ipsum totum compositum substantiale existeret veluti forma, & terminus ad quem, sed quodocunque adest forma, tollitur privatio, ergò hic etiam tolleretur & consequenter non esset, alioquin esset & non esset, esset, ut supponitur; non esset autem, quia esset hic ejus forma.

III. Dices: Corpus illud replicatum haberet quidem esse, sed non in hoc loco, ergò in hoc loco haberet negationem esse, & consequenter si de novo reproduceretur, transfiret adhuc à termino à quo, negatione scilicet corporis in hoc loco. Sed Contrà: Si illud non esse loci sufficit, quòd dicatur aliquid reproduci substantialiter, sequeretur quòd etiam, quando aliquid se localiter moveret, de uno loco in alium locum, quòd tunc de novo se produ-

ceret; probatur sequela, quia antecedenter non habuit esse in hoc loco, ergò transivit à negatione essendi in hoc loco adhuc locum, & sic defacto se produxit in hoc loco, quod tamen nemo dicit, adeoque nequè primum, quare infertur, quòd non reproducat corpus replicatum, sed quòd solum in alio loco de novo locetur, ad quòd sufficit actio accidentalis adductiva. Contrà secundò: Si ille transitus à negatione esse in hoc loco sufficeret, ut corpus dicitur de novo reproductum, sequitur, quòd etiam, quando corpus definit esse in illo loco, possit dici destrui ab omnimoda paritate, sed hoc est inconvenientissimum, ergò: sequela patet, quia sicut antecedenter transivit à negatione esse hic, ad esse hic, ita postea transit ab esse hic, ad non esse hic, probatur mi: quia ex hoc sequeretur, quòd, quando Corpus Christi definit esse sub speciebus, quæ corumpuntur, quòd tunc destruat semper Christus, ejusque Unio hypostatica, utpotè cum definit esse illis præsens, sed hoc esse falsum, patet ex Tridentino sess. 13. cap. 3. Ex quo adhuc confirmatur Conclusio & ratio. Quia corpus Christi in Sanctissimo Eucharistia sacramento non producitur de novo, ergò nequè aliud corpus replicatum, propter paritatem rationis.

### Arguitur I. Contra Conclusionem:

Si Divinitus Titius poneretur Cistercii & Camencii per adductionem, seu actionem adductivam, Ubi Cisterciense deberet in Titio poni vel Cistercii vel Camencii, neutrum dici potest, ergò Titius non ponitur per actionem adductivam Cistercii: probatur mi: Non quòd Ubi Cisterciense producatur in ipso Cistercii, quia tunc sequeretur, quòd Titius prius fuisset saltem naturà Cistercii, quàm illud Ubi habuisset, & sic Ubi Cisterciense non erit ratio formalis, quare Titius fit ibi. Si verò Ubi Cistercium producitur in Titio Camencii, tunc sequitur, quòd Titius existens Camencii fit futurus Cistercii, & sic Cistercium esset Camencii, & Ubi Camencense esset Ubi Cisterciense. Respondeo primò: Hoc argumentum contra quemcunque motum localem formari posse, nam si ab eo ex horto ad Ecclesiam, Ubi Ecclesia, vel afficit me in horto existentem, an verò in ipsa Ecclesia constitutum, si me afficit existentem in horto, tunc infero, ergò in horto manens habeo Ubi Ecclesia: Si verò me afficit in Ecclesia, superfluit, quia jam antecedenter fui in Ecclesia, quare hoc argumentum solvendum est suis Authoribus. Respondeo secundò: Ubi Cisterciense produci in Titio Cistercii, in quantum considerari potest fundamentaliter prior esse ibi, non verò formaliter. Respondeo tertio: ubi Cisterciense produci in Titio, non prout existit Camencii, sed prout abstrahit ab omni præsentia locali, ita tamen, quòd in illo instanti, quo producitur Ubi Cisterciense in Titio, produciatur formaliter in Titio existente Cistercii per illud Ubi.

**Instatur:** Causa subjectiva debet esse semper prius ibi, ubi producit forma, sed Titius est subjectum Ubi Cisterciensis, ergo prius debet ibi esse Cistercii. R. dist. maj. Causa subjectiva debet prius esse ibi, ubi producit forma, quae non est ratio formalis producendi, aut adducendi illam formam, concedo ma. forma, quae est ipsa ratio formalis adducendi, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam. Itaque praesentia localis, est ipsa ratio formalis efficiendi in loco.

**Urgetur:** Non potest assignari modus, quo Titius acquireret illud Ubi Cisterciense, ergo: probatur ant. quia non transiret per illam viam; R. negando ant. cum consequentia probationis; Nam licet verum sit, quod Titius per nullam viam esset transurus, adhuc tamen assignari potest modus, quomodo ibi esset, quia adducitur per actionem instantaneam a Deo supplente rationem motus, qui aliquin esset necessarius.

**Instatur:** Si ad conversionem requiritur, ut verè desinat terminus a quo, ergo etiam ad eam requiritur, ut verè incipiat esse terminus ad quem, sed R. negando consequentiam, disparitas est, quia terminus a quo denominatur simpliciter conversus in alium, adeoque necessarium est, ut ipse desinat, terminus verò ad quem denominatur solum succedens termino a quo desinentem, vi definitionis talis, ibi sit, unde transmutatio substantialis potissimum distinguitur a conversione substantiali, seu transubstantiatione, quod haec respiciat terminum positivum, illa negativum; Secundo, quod transubstantiatio specificetur per terminum a quo, mutatio verò per terminum ad quem.

QUAESTIO IX.

Quasnam formas possit, & debeat habere corpus replicatum?

**Sensus** quaestionis est, an, quando unum corpus ponitur in duobus locis, necessario debeat habere eas formas accidentales, quas antecedenter habuit? an verò possit replicari absque eo, quod accidentia in ipso subjectata replicentur? De formis enim substantialibus tanta non est difficultas, nam si ea non poneretur, ubi est materia, non esset amplius idem corpus, cum, secundum Thomistas, corpus constituitur in esse corporis per formam & animam, & secundum Scotistas, forma essentialiter ingreditur compositum, adeoque si non esset forma & anima, ubicunque est materia, jam non esset idem compositum. Et, ut hanc quaestionem Doctor subtilis resolvat, praemittit tres regulas observatu & notatu necessarias in 4. d. 10. q. 2.

I. Sensus quaestionis.

Prima est: Quaecunque sunt priora ipso Ubi, uniformiter insunt corpori in diverso Ubi, nec variantur variato Ubi, quae verò posteriora, vel simul naturam cum ipso Ubi, variantur variato Ubi. Cujus regulae sensus est, quod fieri non possit, ut idem numero accidens, quod est in subjecto prius, quam aliquod Ubi, possit esse in subjecto & corpore in uno loco, & etiam non insit in alio loco, sed corpus sit in illo altero loco cum negatione hujus accidentis; Illa verò accidentia, quae Ubi concomitantur vel subsequuntur Ubi, possunt in uno loco adesse & non adesse in alio loco, & talia accidentia sunt relationes propinquitatis, distantiae, sursum, deorsum, motus localis, &c. Prioris verò generis sunt omnia accidentia absoluta, & etiam illa relativa, quae immediate fundantur in aliquo absoluto, ut actio, passio, similitudo, unio, &c. excepto Ubi. Secunda Regula est: Sicut passum in uno loco existens reciperet formam ab agentibus duobus contrariis sibi ibidem approximatis, sic ipsum in duobus locis existens patietur ab iisdem sibi in duobus locis istis approximatis, & hoc de passione respectu formae absolutae. Tertia Regula: Sicut corpus in uno loco existens ageret in diversa passiva sibi approximata in illo loco, sic etiam in duobus locis existens ageret in diversa passiva sibi in iisdem eodem modo approximata. Quae regulae de se satis clarae sunt, ut fusiore explicatione non egeant.

Scotus praemittit tres regulas.

VI

**Arguitur 2.** Quando Corpus Christi Domini ponitur sub speciebus vi verborum & consecrationis sacramentalis, verè producit ibi, & non tantum adducitur, ergo etiam quando aliud quodcunque corpus replicatur, non ponitur in alio loco per adductionem, sed per novam productionem: consequentia patet: probatur ergo ant. Corpus Christi ponitur ibi per actionem substantialem, quae a Patribus & Conciliis vocatur transubstantiatio, quod scilicet substantia una convertitur in aliam, sed non esset actio substantialis, nisi produceretur etiam ipsa substantia corporis Christi, ergo producit. R. negando ant. cujus probationis majorem pro secunda parte distinguo; dicitur transubstantiatio in quantum habet rationem mutationis & conversionis, concedo ma. in quantum significat ipsam actionem adductivam corporis Christi, nego ma. min. & consequentiam. Itaque sicut quilibet generatio dupliciter considerari potest, in quantum scilicet habet rationem actionis, seu productionis, & in quantum habet rationem mutationis, sic quoque potest considerari transubstantiatio, in quantum est actio productiva, vel adductiva, & in quantum est mutatio & conversio, haec enim tantummodo respicit terminos absolutos, a quo & ad quem, qui quoniam substantiae sunt, conversio etiam substantialis dicitur, non tamen respicit agens, sed ab eo praescindit, actio tamen, quae in illa conversione intervenit, non est substantialis, quia substantia corporis Christi ibi de novo producit, sed tantum nova praesentia, adeoque solum est accidentalis.

**Instatur:** Si non producit ibi de novo corpus Christi, transubstantiatio nec in ratione mutationis dici poterit substantialis, ergo transubstantiatio quomodocunque consideretur, requirit, ut terminus de novo producat. R. negando ant. quia sufficit, ut terminus a quo substantialis verè desinat substantialiter, qui, si non desineret, unum in aliud converti dici non posset, quia unum in aliud converti, est, unum desinere in aliud succedens, ex vi definitionis ipsius.

F. Amandi Hermann Physica.



ad quas conformando me & regulando, etiam quaestionem resolvam. Unde

II.  
Corpus replicatum debet habere accidentia independentia à loco.

Dico I. *Quandocumque corpus aliquod in diversis replicatur locis, omnia accidentia absoluta, & relativa à loco independentia conaturaliter, tam bene in uno, ac in alio loco esse debent.* Hæc est conformis ad primam Regulam.

**Probatur Conclusio primò:**

Omnia accidentia enumerata verè subjectantur, & uniantur cum corpore, ergò ubicunque corpus est, ipsa etiam esse debent: probatur consequentia, quia accidens nullum definit esse unitum subjecto suo, nisi per ejus destructionem, aut formæ contrariæ introductionem, aut cessationem causæ conservativæ, sed nihil horum intercedit, dum unum corpus ponitur in alio loco, ergò: probatur mi: Locus & Ubi, nulli accidenti est contrarium, nec subjectum definit esse, sed tantum aliud ubi acquirit, ergò.

**Probatur secundò:**

Quando unum corpus naturaliter de uno loco transfertur ad alium, omnia accidentia quæ ipsi antecederent inhaerent, concomitantur & sequuntur, ut patet de se, nam si ex hoc loco me conferam in alium, eandem habeo quantitatem, easdem qualitates, &c. ergò etiam quando idem corpus Divinitus ponitur in pluribus locis. Probatur consequentia, quia non ob aliam rationem dixit Concilium Trident. sess. 13. cap. 3. in Eucharistia corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub specie vini, ex vi verborum, ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque, sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantia, quæ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis surrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur &c. ergò.

III.

Dices: Idem corpus existens in diversis temporibus, potest in uno tempore habere unam formam absolutam, & non habere eam in alio tempore, ergò etiam corpus existens in uno loco, potest habere unam formam absolutam, & non habere eam in alio loco ab omnimoda paritate. Sed Resp. dist. consequens, simul, nego, successivè, concedo, sicut etenim non potest forma, & ejus privatio inesse subjecto simul in diversis temporibus, ita nec in diversis locis. Verum

IV.

Divinitus tamen id non est necesse fieri.

Dico 2. *Non implicat, quòd in replicatione unius corporis ad duo loca una forma possit esse in uno loco, & non replicari in altero, si ad hoc novum accederet miraculum.* Hæc videtur esse contra primam regulam, in re tamen non est, nam ipse Doctor supra q. 4. priorem regulam limitat, dum dicit: Et etiam potest dici, quòd non est necesse positâ existentia corporis Christi hic & ibi, quòd illa, quæ insunt corpori sub una existentia, insunt etiam sibi sub alia, loquendo etiam de formis absolutis. Quare

**Probatur Conclusio primò:**

Quia nulla est necessitas, quòd accidens aliquod absolutum subjectatum in corpore, replicari debeat ad replicationem corporis, er-

gò non est dicendum: probatur ant. si esset aliqua, maximè ob unionem, aut ob independentiam à loco, aut ob utramque simul, sed hæc non urgent, nec necessitatem faciunt, ergò, probatur mi. tum, quia defectò contingit, quòd aliquid sit alteri unitum, & tamen non sit, ubi est illud alterum, ut patet de anima rationali, quæ est unita pedi, & pes unitus animæ, & tamen pes non est, ubicunque est anima, quia anima etiam est tota in capite, & tamen ibi non est pes, ergò. Deinde humanitas quoque est unita Verbo Divino, & tamen non est, ubicunque est Verbum, aliàs deberet esse ubique, ubi est Verbum, quòd tamen non est.

**Probatur secundò:**

Quia si non posset corpus replicari in alio loco sine omni forma absoluta, & à loco in dependente, esset propter periculum, ne duo contradictoria simul admitantur, sed hæc ratio non obstat, ergò nihil, quò minus unum corpus replicatum ponatur in altero loco, sine forma absoluta: major est Advers: probatur mi: Ut sit aliqua contradictio, debet idem de eodem simpliciter affirmari & etiam negari, verbi gratiâ, Titium esse album, & Titium non esse album, sed si Titius est Camencii albus, & Titius esset Cistercii non albus, non sequeretur quòd verè de eo predicari, & affirmari possit, quòd sit albus, & quòd non sit albus, sed solum, quòd Camencii sit albus, & non sit Cistercii albus, quæ non sunt contradictoria, quia negans propositio non negat simpliciter albedinem in Titio, sed solummodo negat eam Cistercii, si autem esset contradictoria affirmativa, deberet eam simpliciter negare. Confirmatur: Nulla est contradictio in istis duabus propositionibus: Homo currit, homo non currit, ergò neque erit contradictio in istis, Titius est albus Camencii & non est albus Cistercii, quia sicut priores non sunt, quia supponunt pro pluribus singularibus, sic posteriores supponunt pro pluribus Locis.

**Probatur tertio:**

Datur aliquod corpus, quò defectò replicatur, quòd tamen in secundo loco non habet accidentia omnia absoluta, quæ habet in primo, ergò illud non est necessarium: probatur ant. Christus Dominus est replicatus in Eucharistia sine extensione in ordine ad locum, sed extensio localis est accidens aliquod absolutum, ergò datur aliquod corpus replicatum sine omni forma absoluta concomitante.

**Probatur 4.**

Quando corpus aliquod replicatur, non reperitur in utroque loco presentia localis, ergò nec est necesse, quòd reperiat etiam qualibet forma accidentalis: ant. patet, quia dum Titius est replicatus Camencii & Cistercii, presentia Cisterciensis non reperitur in loco Camencensi, nec presentia Camencensis in loco Cisterciensibus; alioquin Cistercium esset Camencii, & e contra: probatur consequentia, quia idem non posset forma absoluta non replicari, quia alioquin sequeretur contradictio, sed hoc etiam sequeretur in duabus presentibus, ergò.

ergo, si hac contradictione non obstante, potest habere corpus presentiam hic Camencensem, & eam non habere Cistercii, poterit etiam forma absoluta esse hic & non esse Cistercii.

& ibi odium, assensum & dissensum, quia hac omnia respiciuntur non in locis, sed in corporibus & animabus, quae quia sunt ejusdem virtutis hic & ibi, nec ullo modo est aucta, sicut non poterant esse simul in eodem sine replicatione, nec poterunt per replicationem.

VIX

**Dico 3.** Quando corpus aliquod replicatum in primo loco plures acquirat affectiones & formas, per actiones ab extrinseco, illa forma non debent necessario replicari, & poni in corpore existente in alio loco, sed nec sine novo miraculo possunt.

**Infero quarto:** Quod Titius in uno loco non poterit esse in gratia, in altero in odio, connaturaliter sine novo miraculo, Ratio est, quia gratia & peccatum defecto non compatiuntur se in eodem subjecto, sed, licet Titius esset replicatus, adhuc esset idem subjectum, ergo. Tum, quia sic Deus deberet Titium simul odisse & amare, odisse propter peccatum, quod omni odio dignissimum est, amare propter gratiam in ipso repertam, quae omnem hominem reddit amore dignum; sed haec sunt absurda, ergo.

**Probat:** Quia nulla est causa assignabilis, quae ejusmodi qualitates in secundo loco de novo produceret, ergo: probatur antequam illa deberet esse vel prima, vel secunda; non prima, quia haec non agit, nisi in quantum ratione generalis concursus coagere debet cause secunda; nec etiam secunda, quia haec non potest agere indistans: Nec denique ipsa forma, quia haec nequit se ponere in diversis locis, ergo. Hinc infero quod, si Titio existenti Camencii produceretur calor, aut frigus, vel quaecunque alia qualitas in ipso, non deberet statim eadem qualitas esse in ipso replicato Cistercii.

**Infero quinto:** Similiter loquendo de eo, quod connaturaliter fieri potest, quod si materia replicaretur in duobus locis, non posset duas formas substantiales recipere, ratio est eadem, quia per replicationem non est aucta virtus & capacitas materiae. Dixi connaturaliter magis loquendo, quia si novum accederet miraculum, tunc sine dubio posset duas recipere formas, cum possit Divinitus eas recipere, licet non replicetur, sic etiam Divinitus posset in eodem homine esse gratia & peccatum, quia hoc similiter per Dei potentiam absolute fieri potest; Item calorem & frigus in summo: Non tamen amorem & odium, quia hi actus simpliciter destruant unius & alterius objectum, ut infra dicam. Interim ad rem hanc

**Dico 4.** Quando cum, aliquid in duobus locis collocatur per replicationem, non potest in ipsis plus agere vel pati, quam si esset in uno loco. Haec est conformis ad duas secundas regulas: & Ratio est in promptu, quia per talem replicationem non augetur, neque crescit virtus activa vel passiva, ergo non potest in illis locis plus agere vel pati, quam si esset in uno. Ex hac conclusione deducitur Corrolaria plura, &

**Dico 5.** Quando corpus nutritur in uno loco, tunc materia de novo acquisita per nutritionem, quoque replicari debet, & consequenter etiam debet nutriti in altero loco. Ita Baro.

**Primo,** quod, licet Titius esset in duobus locis, & in quolibet audiret solemnissimos Musicos in Ecclesia, verbi gratia, aut videret pulcherrima objecta in Nundinis utrobique locorum, quod ea non omnia auditu perciperet, nec visione videret, sed tantum determinatam partem hic, & determinatum quid ibi, aut in uno audiret & videret omnia, in altero videret & audiret nihil, verbi gratia, si haberet potentiam videndi ut oculo, & illa in uno loco tota actuaretur visione, in altero videret nihil; Et hoc est satis conforme ad S. Augustinum supra citatum Sermon. 32. divers. cap. 2. Quid enim summi (inquiens) quia ego apparui istis nesciens? Illis enim me videbant & ego nesciebam, quod si autem in utroque loco potuisset aequè agere & pati, de admittitione data iis, quibus apparuerat, recordari posset & deberet, ergo.

**Probat cum ipso:** Quia si non replicaretur materia per nutritionem acquisita, sequeretur, quod idem homo non esset replicatus, sed hoc est contra suppositum, ergo: probatur sequela. Quia tunc non est idem homo, quando non habet easdem partes Physicas & integrantes; sed si non haberet partes per nutritionem acquiratas, non haberet easdem partes integrantes; ergo. Quomodo verò fiat nutritio illa, colligi potest ex dictis, videlicet, quod, licet Titius hic comederet, & etiam comederet Cistercii, quod non comederet plus, quam si esset in uno loco, & sic partim nutritur à nutrimento hic percepto, & partim à nutrimento, quod ibi sumpisset, quod si verò nutritur solummodo ab uno, tunc Deus deberet illud determinare.

**Infero secundò:** Quod si aliquis toties replicaretur, verbi gratia Titius, ut integrum conficeret exercitum, quod ille non posset plus pugnare, quam unus, nec plures vincere quam poterat, si non fuisset replicatus, nec omnium arma deferre & portare.

**Dico 6.** Homo replicatus in duobus locis potest se movere in eisdem, non modo pluribus motibus, sed etiam oppositis & hoc non Divinitus novo accedente miraculo, sed prioris vi & virtute. Ratio est, quia hi omnes motus sunt dependentes à praesentia locali, eaque posteriores; ergo non variato in se subjecto variari ipsi poterunt. Unda

**Infero tertio,** quod, si eidem Titio hic ignis & Cistercii nives applicarentur, nunquam posset in ipso producere vel calorem, vel frigus in summo, sed solummodo ad eos gradus, quos in eodem subjecto simul habere posset, similiter non poterit de eodem hic habere amorem

X.

XI.

XII.

XI

XIII.

XIV.

**Quæres:** Quid contingeret, si Titius replicatus posset se movere motibus contrariis, ita, ut etiam sibi ipsi obviaret, an tunc sese penetraret? R. probabiliter quod non & ratio est,

quia in tali casu partes oppositæ occurrerent sibi, id est dextra manus ad sinistram & sinistra ad dextram. Et hæc pro materia intricatissima sufficiant.

## DISPUTATIO II.

### DE VACUO.

**D**uplex vacuum communiter à Philosophis assignatur, unum proprium, quod etiam determinatum vocatur, est q. quod fit, vel fieri posse creditur in toto universo; alterum est improprium & indeterminatum, quod etiam imaginarium dicitur. Et de utroque in hac disputatione mihi erit sermo, & imprimis de indeterminato; sit igitur

#### QUÆSTIO I.

**IX** *An detur vacuum indeterminatum, seu an dentur spatia imaginaria? & quid sint?*

I.

**Circa præsentem materiam imaginariam plurimis Authores passim distrahuntur imaginationibus, dum unus hoc, alter aliud de his spatiis imaginatur, mihi licebit etiam, quod aliis; maxime habenas laxante Doctore subtili, qui, licet quandoque locum realem propugnet, at tamen tam 5. Met. q. 9. quam 4. Phys. q. 2. spatiis imaginariis plurimum favet, nam dicit, hoc non posse evidentè impugnari. Quare cum eodem rem breviter expediendo, secundum quod soleo,**

II.

*Dantur spatia imaginaria.*

**Dico I. Dantur spatia imaginaria. Hæc est, ut imaginor mihi, indubitata, &**

**Probatur:** Quia spatia imaginaria vel sunt entia realia, vel entia fictitia, sed tam entia realia dantur, quam entia fictitia; ergo dantur etiam spatia imaginaria: probatur mi. quia dantur entia rationis; ergo dantur etiam spatia imaginaria, cum non plus esse habeant illa, ac ista, ergo. Et hoc sufficiat pro prima parte; pro secunda, de qua plures, eaque sola, sunt difficultates

III.

*Non sunt quid positivum.*

**Dico 2. Spatia imaginaria non sunt quid reale positivum.**

**Probatur primò:** Spatia imaginaria fuerunt ante mundum conditum, sed ante mundum conditum nihil fuit reale positivum; ergo nec spatia imaginaria sunt aliquid reale positivum; probatur minor, quia tunc nihil extitit, præter solum Deum, sed Deus nequit dici spatium imaginarium, ergo.

IV.

**Dices:** Deum posse dici spatium imaginarium, propter suam immensitatem, per quam ubique diffusus est, idque necessariò, non quidem secundum partes, sed virtualiter & eminentialiter, quatenus ejus unica simplicissima entitas, multis partibus & extensionibus æquivaleret, adeoque rem esse in spatio imaginario nihil aliud est, quam esse in Deo. Sed Contra: Secundum Patres & Scholasticos Deus est in spatiis imaginariis, etiam extra cælum, sed si Deus esset ipsum spatium imaginarium, gratis diceretur hoc, quia nihil aliud facerent, quam quòd Deus fit in se, quod nemo negat; bene

tamen alii, quòd fit in spatiis illis imaginariis, unde Arguo in contrà secundo: Certum est, Deum esse ubique immensum & esse in se, sed non est certum, quòd Deus fit in spatiis imaginariis; ergo spatia imaginaria non sunt Deus, nec Deus est spatium: ma. patet: minor probatur ex varietate sententiarum, quoniam aliqui affirmant, alii e contra negant, ergo.

**Probatur secundo:** Si spatia imaginaria essent quid reale positivum, vel essent substantia, vel accidens, neutrum sunt; ergo non sunt aliquid reale: ma. patet: probatur mi. quia si essent substantia, deberent esse tam bene in loco, ac alia substantia & non essent in loco, nisi per alia spatia, quæ etiam absque omni loco esse non possent, & illa iterum usque in infinitum; Nec etiam accidens, quia deberent habere aliquod subiectum, quod implicat, quia aliud subiectum deberet esse in loco & in spatio, & sic deberet iterum aliud habere subiectum.

**Dico 3. Spatia imaginaria non sunt entia pure fictitia.** Ita ex Scotistis Baro contra alios, & etiam plures Recentiores, ut Arriagam, Ovidium, Vasquez &c.

**Probatur primò:** Quia cælum Emphyreum fuit in spatio & est in illo absque eo, quòd aliquis intellectus de eo cogitet vel fingat, imò spatium imaginarium fuit ab æterno, sed ab æterno nullus fuit intellectus potens fingere; ergo spatia imaginaria non sunt entia per fictionem.

**Probatur secundo:** Deus, secundum probabilem sententiam, est in spatiis imaginariis, sed Deus non est in fictione alicujus intellectus, ergo: probatur mi. Deus esset ibi, etiam si nullus intellectus esset, qui fingeret.

**Probatur tertio:** Spatium imaginarium debet esse quid fixum & immobile, sed fictio intellectus cessat, cessante actu intellectus; ergo in eo non consistit spatium imaginarium.

**Dico 4. Spatium imaginarium est negativum spatii realis alicubi ponibili.** Hæc sequitur ex prioribus, nam si spatium non est quid fictum, nec etiam aliquid positivum, sequitur esse aliquid negativum. Unde

**Probatur Conclusio:** Spatium imaginarium nihil est aliud, quam id, quod

spatio reali opponitur, sed nihil magis opponitur spatio reali, quam negatio spatii realis, ergo. Confirmatur: Si Deus per suam omnipotentiam annihilaret caelos superiores usque ad regionem ignis, tunc in locum caelorum annihilatorum succederet spatium imaginarium, nam eodem modo nobis tunc imaginaremur amplissimam quandam extensionem, non secus ac modo; ergo spatium imaginarium nihil est aliud, quam negatio spatii realis.

VIII. **Dices 1.** Haec negatio spatii realis debet esse alicubi, sed omne, quod est alicubi, debet correspondere alicui loco, five positivo, five negativo; ergo etiam illud spatium imaginarium; Et sic in infinitum. Sed R. negando ma. Ratio est, quia quod est ratio alicui essendi in loco, non debet iterum poni per aliud in loco, nam sic Adversarii ipsi fatentur, quod ubi intrinsecum non sit in loco per aliud ubi intrinsecum, sic nec spatium debet esse in spatio per aliquod aliud spatium, quia ipsum est mensura & capacitas, ut sint res aliae in ipso: quare respondeo ad mi. dist. eandem. Omne, quod est, debet correspondere alicui loco, si non sit ratio formalis & ipse locus, concedo minorem, si sit talis ratio formalis, nego mi. Spatium autem est ratio formalis locandi.

IX. **Dices 2.** Omnis negatio potest tolli per positionem formae, cuius est negatio; ergo etiam spatium poterit tolli, sed hoc videtur contra rationem spatii, quod dicitur esse immobile & aeternum, ergo. R. disting. consequens, poterit tolli simpliciter, nego consequentiam, secundum quid, concedo, nec in hoc involvitur aliqua implicancia.

## QUAESTIO II.

### An Deus sit in Spatiis Imaginariis?

I. **Qui negant** Spatia imaginaria, consequenter loquendo, negant etiam Deum esse in illis, Arriaga excepto, qui, licet illa negasset, & mera entia ficticia docuisset esse, dicit tamen, Deum esse ibi, sed non video, quomodo Deus extitisset ab aeterno in spatio imaginario, cum nec Arriaga tamdiu extiterit, imò multo tempore extiterit, antequam aliquod tale spatium finxerit vel fingere potuerit. In materia ista tenet D. Bonaventura partem negantem; Nichilominus Sancti nostri Magistri contrarium sentiunt, ideoque cum aliis resolvunt.

II. **Dico:** Deum vere esse in spatiis imaginariis. Hanc Recentiores potiori ex parte omnes sollemniter propugnant, contra plurimos Scotistas, qui imaginantur hoc esse contra mentem Doctoris subtilis, sed perperam, quia Doctor tantum denegat Deo ante mundi constitutionem praesentiam ad aliquid positivum. Quare

**Probatur Conclusio primo:** Autoritate S. Augustini Serm. 57. Diversi ubi sic ait: *Quae sunt spatia, quae non habent omnipotentem? quae non tenent immensum?* Et lib. 11. Civit. cap. 5. haec habet. *Ita quaeritur, cur potius tunc, & non ante mundum factus sit, quemadmodum quaeri potest, cur hic potius, ubi est & non alibi? Nam*

*si infinita spatia temporum ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur Deum ab opere cessare potuisse, similiter ergo cogitent extra mundum infinita spatia locorum, in quibus si quisquam dicat, non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro somnare cogatur.* Ex qua auctoritate desumo pro Conclusione hanc rationem: Deus per aeternitatem suam omne tempus actuale excedit & supergreditur, ergo etiam excedit omnem locum actualem, & consequenter est & fuit, quando non fuit, & ubi non est locus actualis & realis; probatur aut. quia Deus dicitur fuisse per omne tempus imaginarium praecedens in infinitum tempus actuale, non quidem per praesentiam aliquam positivam & realem coexistentiam, quia tunc nullum fuit ens, cui coexisteret, adeoque defectus non ex ipso, sed ex carentia rei existentis; ergo; patet etiam consequentia, quia sicut se habet Deus ad tempus, ita se habet ad locum, utrumque enim respicit per infinitum, hinc per infinitam aeternitatem, illinc per in comprehensibilem immensitatem. Prob. etiam ex Bernardo lib. 5. de Confid. cap. 13. ubi dicit: *Quid igitur est Deus? longitudo inquam quid ipsa? aeternitas. Haec tam longa, ut non habeat terminum, non magis loci, quam temporum.* Sed si Deus non est in spatiis imaginariis, haberet terminum loci, ergo est.

**Dices:** D. Bernardus totum contrarium docet, nam lib. 5. de Confid. cap. 6. sic discurret: *Quaeris si in ipso omnia, ipse ubi? Nihil minus invenio. Quis capiat locus? Quae ubi non sit? Nec hoc quidem dixerim: Quis sine Deo locus? Incomprehensibilis est Deus: sed non parum apprehendisti, si hoc tibi de eo compertum est, quod nunquam sit, qui non clauditur loco & nunquam non sit, qui non excluditur loco. Suo autem sublimi & incomprehensibili modo, sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. Denique, sicut ait Evangelista, in mundo erat. Alias vero ubi erat, antequam mundus fieret, ibi est. Non est, quod quaeras ultra, ubi erat: praeter ipsum nihil erat; ergo in seipso erat. Sed R. Sanctum Bernardum, sicut & omnes alios Sanctos Patres, quando dicunt, quod Deus ante mundi creationem fuerit in seipso, aliud non velle, quam explicare, quod nihil ante ipsum fuerit, nec etiam aliquid necessesse fuerit, ut esset ab aeterno, in quo esset, ut esse posset, cum sufficienter in se esset, absque eo, quod aliquid reale esset, in quo se ipsum constitueret & hoc ideo, quia sic melius ab illis, quibus loquebantur, capiebantur. Simili modo explicandus est D. Augustinus, dum lib. 7. Conf. cap. 1. locum inanem vocat *spatio sum nihil*, id est, nihil positivum, vel quod ibidem deploret errorem praeteritum, in quo fuit, credens Deum in illo loco inani esse quantitativè extensum, ut eum interpretatur Nebridius. Hinc*

**Probatur Conclusio secundò** Ratione: Deus necessariò est, ubicunque esse potest, sed potest esse in spatiis imaginariis, ergo ibi est: major patet ex immensitate Divina: probatur mi. Deus potest esse ubique, ubi potest esse Angelus vel homo, aut quodcumque aliud corpus, sed corpus quodcumque, sicut etiam Angelus & homo possunt esse in spatiis imaginariis; ergo potest etiam Deus ibi esse, patet major, quia non plus requiritur in Deo, quam

III.

IV.

quàm in Angelo vel aliquo corpore; minor probatur, ex eo, quòd defactò totus mundus sic sit, qui, si non potuisset sic esse, nec creari & produci potuisset, imò nunc & defactò potest Deus in spatiis illis Angelum creare, sicut etiam alium mundum præter istum.

V. **Dices:** Deum posse esse, ubicunque corpus est, dummodò corpus illuc ponatur, non verò si non ponatur eò aliquod corpus. Sed **Contrà:** Ut Corpus aliquod ponatur extra Cælum Empyreum, non requiritur, ut prius ibi existat aliud corpus; ergò nec etiam est necesse, ut prius aliquid ponatur illuc, ut Deus ibi sit, cum minus requirat Deus ad ibi existendum, quàm corpus, quia hoc vult habere carentiam corporis & divisibilitatem spatii, non sic Deus.

VI. **Probatur Conclusio tertio:** Si Deus non esset in spatiis imaginariis, sequeretur, Deum esse mutabilem, sed hoc alienum est à natura Dei, ergò: probatur sequela. Quia si Deus crearet alium mundum ab isto (sicut posset) uno milliari disitum, tunc vel Deus esset ipsi immediatè præsens vel non? si non, sequitur Deum non esse immensum: si verò esset ipsi immediatè præsens, tunc quæro, vel fuit jam antecederentè ibi vel non? si fuit; ergò Deus est in spatiis imaginariis: si verò non fuit, tunc verè mutaretur, quia fieret de non præsentè præsens: ergò.

VII. **Dices:** Deum futurum illi mundo præsentem, non per mutationem sui, sed per mutationem solius novi mundi, quemadmodum assumpsit naturam humanam, non per sui mutationem, sed per mutationem humanitatis. Sed **Contrà,** in productione novi mundi mutatio nequit poni ex parte creaturæ, supponitur enim quòd mundus ille non moveatur loco; ergò Deus in nostro mundo existens & uno milliari ab alio mundo distans, ut fiat illi præsens & vicinus, debet ad ipsum moveri, & si ad ipsum movetur, necesse est, quòd mutetur.

VIII. **Probatur quartò:** Si Deus non posset esse in spatiis imaginariis, sequeretur, quòd nec posset esse præsens vacuo, aut si esset præsens, quòd à semetipso dividi deberet, quòd utrumque falsum est, ergò: probatur sequela quòd ad primam partem, quia vacuum nihil est, nisi aliquod tale spatium & non differt, nisi per respectus & connotata, quòd hoc sit determinatum & non illud, ergò: probatur altera sequela, quia, si inter hos parietes cubiculi hujus annihilaretur totus aër sine fornice & pavimento, ita, quòd soli muri starent, Deus esset parietibus & muris præsens, & non medio; ergò tunc esset à seipso divisus. Sed in **Contrà**

IX. **Arguitur:** Spatium non est quid positivum & reale; ergò Deus nequit in eo existere, probatur consequentia; quia unum in alio existere non tantum dicit absolutam alicujus rei existentiam, sed respicit etiam aliquod aliud, in quo dicitur existere. R. negando consequentiam, probationem ejus distingo, unum in alio existere non dicit absolutam rei existentiam, si existat in alio, per aliquod positivum superadditum & in aliquo positivo, concedo aut. si non existat in reali positivo, nego aut. Vel di-

stingue aliter; respicit aliquid aliud positivum, nego aut negativum transeat; & hoc probat adhuc nostrum intentum magis, si enim existere alicubi non dicit nudam rei existentiam, sed etiam respicit aliquid aliud; ergò quando quidem Deus, secundum Scripturam & Patres, existit etiam extra Cælum, non respicit illa existentia solam essentiam Dei, sed etiam aliquod aliud, non aliud, quàm spatium imaginarium, ergò.

**Instatur:** Si non requireretur aliquod positivum, in quo aliquid dicitur existere, sequeretur, Deum tam benè existere in mensurabilibus, chymeris, rebus objectivis, ac dicitur existere in spatiis imaginariis, sed in mensurabilibus non existit, veluti in loco per spatium; ergò nec in illis spatiis, & consequenter illa non sufficiunt, sed etiam aliquid positivum requiritur, ergò. Sed R. negando sequela, quia illa nihil reale actuale important, spatium verò importat negationem realem actu existentem extra mundum, eo modo, quo negationes posunt dici existere, atque adeò Deus in illis potest existere, non verò in fictionibus & chymeris.

**Urgetur:** Ergò Deus etiam potest existere in cœcitate cæterisque privationibus & negationibus. R. negando illatum. Ratio disparitatis est, quia cœcitas est hujus naturæ & spatium est alterius naturæ, seu quia hoc est hoc, & illud est illud, nam, sicut cœcitas non tollitur per aliquam aliam formam, quàm per visum & non per lucem, nec per colorem vel calorem, sic neque tollitur per positionem alicujus substantiæ, e contra spatium est hujus naturæ, quòd sit capax recipiendi in se quamlibet substantiam, sive spiritualem, sive corpoream.

### QUÆSTIO III.

*An detur vel dari possit vacuum?*

**Non quæro** de vacuo, quòd reperitur in domibus & Conventibus fratrum minorum, nam ibi esse & debere esse postulat ratio. Status illius, nec denique de vacuo quocumque alio in sensu morali, aut metaphorico, quòd dicitur solemus, helluones evacuarè scyphos, Epulones voraces scutellas &c. Sed de vacuo in Physica acceptione, in qua describitur, quòd sit locus carens corpore quantitativo, aptus tamen repleti, quòd non est aliud, quàm spatium, quòd in se corpus non habet, aptum tamen est, ut tale inter se recipiat & inter latera sua distantia. De hoc ergò vacuo quæritur, an defactò detur vacuum? an verò dabile sit, tam in ordine ad potentiam naturalem, quàm in ordine ad potentiam supernaturalem? in qua materia ita aliqui in sensu suo abundant, ut nihil de vacuo scire velint, inter quos est aliquis Recentior Renatus Des Cartes: alii e contra putant & naturaliter defactò vacuum dari. Attamen

**Dico I.** Defactò naturaliter non datur vacuum. Hæc est in Scholis communior contra nonnullos gloriosulos, qui sese experientia oculari demonstrasse gloriantur. Verum Probatur

**Probatur Conclusio primò,**

Experientis variis: Quia videmus vas plenum in orificio superiori bene servatum & oclusum, si inferius epistomium extrahatur, quòd nihil effluat, licet in se vas plenum sit aqua vel vino, aut alio humore liquido & fluido, quod non contingit ob aliam rationem, quam ne vacuum detur, nam si vinum per epistomium efflueret, cum ibi non posset quoque ingredi aer, sequeretur, quòd in parte superiori, ex qua vinum cessit, vacuum esset. Deinde non ob aliam rationem ventosæ & cucurbitæ carnem attrahunt, & sanguinem extrahunt, quia aer igne lychni accendi rarefactus incipit & occupat minorem locum, quando redit ad pristinam densitatem, unde, ne intra partes cucurbitæ, seu vitri vacuum detur, attrahit carnem & cum carne sanguinem. Tertio: Si ore trahatur aer ex fistula, statim ascendit vinum vel aqua, ne vacuum detur, quod idem contingit in antliis domesticis & fontibus artificiosis. Quarto: Ob eandem causam nequeunt ullà vi elevari folles, si orificio bene obstructo & obdurato aer sit extractus, nam si elevarentur, cum ex nulla parte aëringredi posset, jam ibi vacuum esset. Quinto: Si quis poculum plenum aqua, vel quocumq; humore derepente & velocitèr vertat, nihil de eo effluit, maximè si orificium sit paulò angustius, quod faciliùs ingressum aëris impediatur, quòd idem contingit, si quis velocitèr tale orificium vasis in aquam immergat, aqua nequit intrare, nisi priùs per bullas foras emissas aer ejiaciatur, quæ pulchrè describit D. Augustinus secundo lib. de Gen. litt. cap. 2. sequentibus verbis: Nullum vas ab ore impressum repleri aquis potest: unde satis indicat, aërum naturam locum petere superiorem, videtur enim vas inane, sed aëre plenum probatur, cum ore imo in aquam deprimitur, quia enim superiori parte non invenit emigrandi locum, nec descensum versus eruptis aquis subter eas ire natura finitum, plenitudine sua repellit eas & in vas non sinit intrare. Cum autem vas ita collocatur, ut os non habeat descensum, sed in latum inclinatum, intrat aqua inferius, exiitque aëre superius. Itemq; si vasis erecti os pateat in calum, cum infundis aquam, evadit aer sursum versus ex aliis partibus, quæ non infundit & fit locus aquæ descensum versus intrandi. Quòd si majori vi deprimitur, ut vel ex latere, vel desuper aqua derepente influant & undiq; os vasis obtegant; dirumpit eas aer sursum nitens, ut eis ad ima locum faciat, & ipsa diruptio singulorum vasorum est, dum partibus fugit, quia totum tam cito exire non potest, propter ortu angustias.

**Probatur secundò ratione:**

Quia contiguitas rerum in hoc sublunari & toto universo pertinet ad bonum ipsius; ergò non potest esse, ut sit sine hoc bono, cum nihil sit sine sua perfectione & ratione conservativa, qualis est contiguitas corporis. Verùm fateor, hæc ratio non est à priori, nec convincens, nam res sublunares videntur meliùs separatæ conservari posse, quàm aliis contiguæ, quia dum aliis sunt contiguæ, habent contrariorum approximationem, quæ in illa agere possunt, sed meliùs conservatur aliquid, quando est sine contrario suo, quàm quando est cum

F. Amandi Hermann Physica.

illo, ergò. Deinde meliùs conservantur res, quando omnes ejusdem rationis sunt simul, quàm quando diversæ rationis, quia tunc verè virtus est unita fortior; Quare alii dicunt hanc rationem esse: Quia, si vacuum daretur, impediretur influxus astrorum in hæc sublunaria; sed nec ista ratio sufficit; Quia actiones astrorum non videntur tantam habere dependentiam ad medium, ut non possint agere in hæc inferiora sine eo. Deinde datur hæc dependentia à medio, per hoc tamen non impediuntur, si in aliquo parvo spatio, verbi gratiâ, in aliqua caverna, vel in hoc cubiculo datur vacuum. Unde dico, optimam rationem à posteriori esse ab extrinseco per Divinum scilicet Decretum, quo Creator ordinavit & determinavit, ut in toto universo omnia essent contigua; & hoc idèd fortè, quia unitas perfectior est quàm discretio, hinc cum ob pulchritudinem universi, non posseut omnia esse unita secundum eandem rationem, debent esse eo, quo possunt, meliori modo. At contra hanc communem veritatem

**Arguitur:** Datur plenum in rerum natura; ergò etiam datur vacuum: probatur consequentia, quia posito uno contrario debet poni etiam alterum. R. negando consequentiam, cujus probationem distinguo: posito uno contrario, debet poni etiam alterum, si sint privativè opposita, nego: positivè contraria, concedo. Locus autem & vacuum privativè opponuntur, unde plenum tollit & negat statim vacuum.

**Instatur:** Si non daretur vacuum in rerum natura, non posset aliquid localitèr moveri; ergò, ut salvetur motus localis, admittendum est vacuum, probatur sequela, quando corpus movetur localitèr, vel recipitur in vacuo, vel in pleno, si in pleno, sequeretur, quòd duo corpora naturalitèr se penetrarent, si in vacuo, ergò datur illud. R. negando ant. ad probationem ejus dico, quòd in motu locali corpus motum non recipiatur in pleno, sed in spatio, quòd plenum antecedentèr erat, corpus tamen, prius ibi existens, per aliud sequens expellitur, unde nec in pleno, nec in vacuo recipitur, sed inter spatii latera, quæ antèa erant repleta.

**Urgetur:** Si corpus præexistens expelleretur à spatio per corpus subsequens, illud expulsum similiter debet vel etiam aliud pellere, vel debet se cum alio penetrari, utrumque implicat, ergò: probatur min. si corpus expulsum, verbi gratiâ, aer non pellit iterum alium aerem; ergò cum ipso penetratur, quod implicat; si verò expellit alium aerem, ille alter aer debet iterum expellere alium & sic in infinitum, quod similiter implicat, quia alioquin musca posset commovere totum hoc universum. R. primò: Conformitèr ad dicta in Logica, quòd ille aer expulsum pellat iterum alium & alter tertium, & sic deinceps, usque dum invenit corpus vel obstaculum, quod iterum repellit & cogit occupare locum antè desertum. Unde R. secundò: Non esse necesse, quod alterutrum

IV.

Argumentum in contrarium primum.

§§§ fiat,

fiat, quia potest totum salvari per rarefactionem & condensationem aeris, ita, ut aer expulsus condenset aerem, ad quem succedit & aer corpori succedens rarefiat, ut possit aeris & spatii reliqui locum occupare.

V.  
Secundum.

**Arguitur 2:** Varias experientias pariter opponendo; nam imprimis, Certum est quod in lucernis turritis consumatur oleum, in cuius locum tamen nequit aer succedere; ergo datur vacuum, deinde, dum vas plenum aqua condensatur, manet vacuum. Tertio: In lapidibus durissimis violentia fractis reperiuntur cavitates, sed in illis nullum fuit corpus; ergo fuit ibi vacuum. Quarto: Si duae tabulae essent perfecte planae, & sibi invicem supponerentur, si una ab alia aequaliter elevaretur, in medio daretur vacuum, quia non posset in unico instanti aer ad totum spatium succedere. Quinto: Caeli omnes, praeter Empyreum sunt figurae sphaericae, illud autem, quod est supremum, est figurae quadratae, ut dicitur Apocal. 21. Civitas in quadro posita est; ergo in quatuor angulis datur vacuum, quia nullum est corpus, quod assignari potest, esse ibi. Sed & ad tres priores in omnibus illis experientis, aut aerem ibi succedere, aut certe praefuisse; Ad quartam dico, fat probabile esse, quod etiam in duabus tabulis multum de aere contineatur, quia raro, aut nunquam sunt ita planae, ut non haberent aliquas protuberationes & inaequalitates; Et licet essent ita planae, ex hoc tamen non potest inferri, quod dabitur vacuum, quia negabo, quod istae duae tabulae, secundum omnes suas partes poterunt aequaliter per omnia simul elevari. Ad ultimam planae facilis est solutio, quia licet omnes Caeli sint rotundi, & Empyreum sit quadratum, ex hoc non inferitur, quod detur naturaliter vacuum defacto, bene tamen, quod supernaturaliter. Deinde dico, Caelum Empyreum non esse quadratum secundum concavum, bene tamen secundum convexum. Et per haec omnes aliae experientiae solvi possunt; Una tamen est, quae particulari videtur examine indigere, quae in Italia satis nota Authore Toricello Florent. est, & quam ad has partes deduxit Valerianus Magni in qua, veluti sua (inaniter tamen) gloriatur, aitque, se oculari experientia coram Rege Poloniae demonstrasse, estq; ista:

VI.  
Experientia  
Valeriani,  
seu potius  
Toricelli.

**Si Fistula longa, aut tubus duorum cubitorum vitreus accipitur, qui ex una parte, tanquam in fundo, sit apprimè clausus, & ut dicunt vitro hermetis, id est, vitro liquente, signatus, impleatur postmodum tubus Mercurio usque ad summum ori & orificio superponatur digitus, & sic orificium digito clausum vertatur deorsum, ut signaculum habeat sursum orificiumque sic clausum immergatur in vas subiectum Mercurio pariter repletum ex parte, hac immersione facta subtrahatur digitus sensim, & experientia dabit, quod Mercurius ex naturali sua gravitate defluet non totaliter tamen, sed forte ad cubitum, ita, ut in fistula vel tubo ad cubitum maneat Mercurius, ulteriusque non descendat, cubitus verò alter erit omninò vacuum, id est, nullo corpore repletus, quia non poterit assignari, unde nam provenerit illud**

corpus, non aer, quia, sicut una pars Mercurii effluxit, ita potuisset effluere totaliter, si aer viam accedendi habuisset. Haec est gloria fratris Minoris Magni. Sed existimo, secundum meum quaecunque videre, aerem ibi tam bene successisse, ac in aliis similibus casibus succedit, & hoc quam maxime, quia non est ita certum, digitum ita mathematicè clausisse orificium, ut nullatenus aer ingredi potuerit, nam frequenter manus tremula, aut defatigata facile remittunt rigorem obturandi os fistulae & sic facillimè intrare potuit, utpotè cum aer, propter suam subtilitatem, etiam imperceptibiliter subintraret, nam si aer nullo modo ingressus fuisset, quero, cur Mercurius in illo tubo descenderet ad medietatem tubi tantum & non ultra, & cur non aequaliter saltem cum illo Mercurio in vase supposito reperto, cum natura liquidorum hoc exigat, ut effluere potens ad aequalitatem semper se ponere conetur, ut patet si vas aliquod projiciatur in aquam, & tandiu rotabitur de latere in latus, usque dum aqua se aequaliter diffundat, unde puto rem esse pro communi mea sententia, dico enim idè Mercurium non descendisse magè deorsum, ex eo, quod non potuerit aer succedere in ejus locum, & idè in medietate sic sursum mansisse ad impediendum vacuum. Deinde optimè possem negare istam experientiam totaliter, utpotè, quae non est ita certa, nam, ut testatur Baro Art. I. de Vacuo: hujus experimenti repetitionem fecit, & tamen non successit, ex quo ego infero illos experimentes non ita purè casum retulisse, dubito enim valde, an non ibi intercellerint subtilitatis & emissiones bullarum, vel quasi bullarum, prout in aqua fieri solent infra quam continetur aer? At

**Instat Valerianus, vel Toricellus potius ejusque sequaces: Si idem tubus eximatur, & extrahatur extra vas Mercurio aequaliter repletum, & ante plenam extractionem orificium inferius iterum fortissimè claudatur, & immittatur, sic clauso orificio in aliud vas aqua repletum, tam citò, ac digitus amovebitur ab orificio magno impetu aqua tubum ingredietur, & Mercurium usque ad summitatem propellet, qui tamen ob gravitatem descendet deorsum, & locum praebit aquae ascendi sursum, sed si in tubo fuisset aer, aqua non ingrederetur cum tanto impetu tubum; ergo signum est, nullum fuisse ibi aerem. Hoc posterus si verum esset, priorem experientiam multum confirmaret, attamen res est incerta eaque sola, adeoque non debet ullo modo praedjudicare tot, tamque manifestis experientis in contrarium. Deinde respondeo directè, permittendo transire experientiam, subsumptam minore negando, quia quod aqua tam velocitè ascendit sursum, non fuit idè, quia ibi vacuum fuit, sed quia ibi aer fuit valde rarefactus, qui proinde tam facile ad aquam celsit & hinc dico, rationem esse, quod etiam Mercurius descenderit tantum ad unum cubitum & non ulterius, quia aer in tubo contentus magis non potuit rarefieri. Fateor tamen, rem bene dici, unde ego etiam**

Dico



III.

**Dices:** Posset se homo movere, si poneretur ad spatia imaginaria motu progressivo; ergo etiam, licet terra destrueretur, probatur consequentia, quia hic haberet tam bene spatium & virtutem motivam, ac ibi, ergo. R. negando consequentiam; Ratio disparitatis est, non, quod non haberet æquè spatium & virtutem motivam, sed quia tunc in casu conclusionis haberet centrum respectu aliorum elementorum permanentium, adeoque deberet ad illud tendere, propter gravitatem, in vacuo & spatio imaginariis verò non haberet hoc centrum.

**Instabis:** Si destrueretur aër, possent aves in eo volare; ergo etiam, si destrueretur terra, possent homo adhuc in vacuo ejus ambulare. R. negando ant. Existimo enim, eandem esse rationem de volatu avium, ac de motu progressivo animalium; Aves enim tam bene in volatu aëri inniti debent, ac homo terræ, dum alas explicant, quibus, tanquam remis sese promoveant. Et per hoc resolvi poterunt similes alii casus. Hinc propero ad alia, &

IV.

*Homo posset habere multas operationes.*

**Dico 3.** Si homo poneretur in vacuo, possent exercere multas operationes & sensationes vitales, non tamen omnes.

**Probatur quoad primum:** Quia imprimis posset intelligere & velle, posset nutriri & augeri, si haberet alimentum debite applicatum & approximatum, imò Mastrius probabiliter putat, quod posset ibi generare, deinde posset seipsum tangere & cibum gustare; Ratio omnium à priori est, quia ista nullo modo dependent à medio, ergo in vacuo fieri possent.

**Probatur secunda pars:** Quia probabile est, quod nihil posset videre vel audire, & ratio est, quia nequit produci visio, nisi concurrentibus speciebus sensibilibus intentionalibus, sed hæ non possent in vacuo concurrere, ergo: probatur mi. quia non possent in illo subiecto recipi, sicut deberent, cum accidentia essent, ut potè cum nullum esset, ergo. Sed contra primam partem

V.

**Dices:** Si homo esset in vacuo, non posset ibi respirare; ergo homo in vacuo non posset vivere. R. negando consequentiam, quia beati post resurrectionem vivent, & tamen non respirabunt; ergo non est necessaria respiratio ad vitam servandam & continuandam, maxime per aliquod brevius tempus.

VI.

*Potesse ibi dari motum localem.*

**Dico 4.** In vacuo dari potest motus localis tam à se quam ab alio. Hæc est contra Albertum Magnum & Burlæum. Est D. Thomæ tamen Doctoris 2. d. 2. q. 9. &

**Probatur primò:** Si daretur vacuum in toto hoc cubiculo & non posset in eo fieri motus localis, sequeretur, quod Albertus vel Burlæus tutò possent in diametro ad portam stare cuicumque explodenti sclopum, sed hoc certè neuter faceret; ergo signum est, quod tunc globus tormentarius & plumbeus posset ad eos usque se movere: probatur sequela ma. Quia si in vacuo nihil, sive à se, sive ab alio moveri posset, tunc globus ille statim, ut pertinge-

ret ad limina portæ, deberet cessare movere se, & sic quilibet in vacuo etiam minutissimo tutus esset à quacunque tormentaria ejaculatione.

**Probatur secundo:** Si esset Burlæus in vacuo, posset utique fricare barbam & ab efricatione cessare, manumque retrahere; ergo potest manum in vacuo movere.

**Tertiò:** Quia non videtur ratio, quare Angelus aliquis in vacuo existens non possit sagittam emittere & evibrare.

**Quartò denique:** Quia si non posset dari motus in vacuo, sequeretur, quod, si lapis molaris poneretur in concavo lunæ, & tota regio ignis & aëris esset annihilata, quod tunc lapis ille non posset cadere deorsum, sed hæc videntur esse paradoxa, cum tunc tam bene à naturali sua gravitate impelleretur, ac nunc & defactò. Sed

**Opponitur Autoritas Aristotelis** hic cap. 8. ubi dicit, quod vacuum motum destruat non verò adstruat. Sed respondeo Aristotelem dicere, vacuum destrucere motum, qui est ad superficiem, non verò quod destruat motum ad spatium; & hoc ideo, quia Aristoteles dicebat, omnem motum lationis esse ad locum, veluti ad terminum realem.

**Instatur:** Talis motus nec posset dici esse dextrorsum vel sinistrorsum, nec sursum, nec deorsum; ergo nullus esset, quia nullam haberet determinatam speciem. R. quod si vacuum consideretur, prout opponitur spatio imaginariis, id est, si sermo sit de vacuo determinato, negando ant. quia omnis talis motus, respectu corporum aliorum, posset habere rationem sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, nam si ego moverem me in spatio vacuo huius cubiculi respectu Ecclesiæ esset dextrorsum, si respectu camporum, esset sinistrorsum, imò in vacuo indeterminato possunt adhuc esse motus sursum, deorsum, &c. nam si ego manum meam applicarem & moverem ad genua, esset utique motus deorsum, si ad caput, esset motus sursum: ergo.

**Dico 5.** In vacuo etiam motus fieri successivè. Hæc est contra eosdem & plures alios, qui ex mente Philosophi malè intellecta putant omnem motum in vacuo esse instantaneum.

**Probatur Conclusio primò:** Quia, si non posset fieri motus in vacuo successivè, sequeretur, si esset vacuum inter cælum & terram, quod pila, quæ moveretur à concavo lunæ ad centrum terræ, simul occuparet omnes partes spatii intermedii, secundum longitudinem saltem, sed hoc est falsum, ergo.

**Secundo:** Si esset vacuum inter cælum & terram, & in isto vacuo poneretur erecta columna quadraginta cubitorum, & ex concavo lunæ juxta hanc columnam descenderet lapis unius tantum palmi, ille lapis non esset simul præfens summitati, mediati & basi talis columnæ, aliàs æqualis magnitudinis esset, quod supponitur falsum; ergo successivè esset præfens parti uni & postmodum alteri, ergo.

**Tertiò:** Si duo lapides ejusdem magnitudinis essent, quorum unus projiceretur à Deo, vel

vel angelo à media regione aëris, qui annihilatus supponitur, & alter à concavo lunæ, hoc supposito, si non daretur motus successivus in vacuo, tam citò deberet esse in terra, qui fuit projectus à suprema Regione & à concavo lunæ, quàm ille, qui fuit projectus à medio spatio, hoc videtur planè falsum, ergò. Quarto: Projiciatur ab Angelo pila per spatium vacuum tantà vi in terram, ut repercussa ad eundem redeat locum, unde fuit projecta, tunc vel recurrat, & redibit ad eundem locum, unde projecta est in eodem instanti, vel alio, si eodem, ergò nunquam fuit emissa, sed semper ibi mansit impermutata, quod est dicere, eam non fuisse projectam: si alio, ergò, cum illa instantia temporis fluxerit, tunc non peregit suum motum in instanti, sed in tempore. Probatur deniq; Quintò ratione: Successio motus non solum provenit ex medio, quatenus plenum est, sed etiam, prout ab interapedine & distantia extremorum cohibetur, & retardatur, sed hæc distantia manet in spatio vacuo, ergò motus in eo factus instantaneus non erit sed successivus: probatur ma. quia terminorum distantia in causa est, ne corpus simul in termino à quo, & ad quem, ac in spatiis intermediis esse possit: probatur etiam minor: Quia si totus aër annihilaretur, & etiam sphaera ignis, luna tam procul distaret à terra tunc, quàm nunc, ergò esset eadem interapedo & distantia. Sed

Opponitur etiam hæc Authoritas Aristotelis. i. 71. dicentis: Sicut medium proportionatur medio in densitate & subtilitate, ita motus proportionatur motui per velocitatem, & tarditatem, sed medii vacui ad medium plenum nulla est proportio, ergò etiam nulla est proportio motus in vacuo & pleno, & consequenter qui in pleno successivus esset, in vacuo instantaneus erit. R. dist. ma. pro explicando Aristotele: Quantum ad velocitatem & tarditatem, quæ provenit ex resistentia positivi medii majori vel minori, concedo ma. quantum ad velocitatem, & tarditatem ortam ex aliis principiis, nego ma. & concessa mi: distingo similiter consequens, & Ratio patet ex probationibus supra allegatis. Verum

Instatur: Ideò sol illuminat in instanti, quia nullam invenit resistentiam in medio, ergò, si in vacuo nulla est resistentia ex parte medij, licet sic ex parte distantie, motus poterit fieri in instanti. Respondeo negando consequentiam: Quia in motu locali est repugnantia inter terminum à quo & ad quem, ita, ut simul esse nequeant, quod non est in illuminatione aëris, ideoquè hoc in instanti fieri potest, non illud.

X.  
Opponitur &  
solvitur  
Arist.

